MELIOROTTI MACCIONII
IN PISAN. LYCEO JUR. CÆS. PROFESS.

RESPONSUM JURIS
CONFIRMATUM SUFFRAGIO

FACULTATIS JURIDICÆ
EJUSDEM PISANÆ ACADEMIÆ

PRO DECERNENDA SUCCESSIONE IN PRIMOGENITURA

BOHEM. DYNASTIÆ NACKODTII

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOM.

NICOLAO GUADAGNI

MARCHIONI MONTIS PISCALIS, S. LEOLINI &c.

ADVERSUS

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. D. COMITEM

JOSEPHUM ADALBERTUM DESFOURS

ET ADIENVILLE

AC

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

ANNAM MARIAM

EX PRINCIPIBUS PICCOLOMINEIS

DUCISSAM MONTIS LEONIS &c.

LUCÆ MDCCLXXXVI.

Typis Francisci Bonsignori)(*Cum Approbatione.*

SPECIES FACTI

§. I.

Octavius Piccolomineus Senensis, S. R. I. Princeps & Comes, Dux Amalphitanus, Nackodtii Dominus, bellicæ virtutis non minus quam eximiæ singularisque Prudentiæ laude, atque Impp. Ferdinandi II. & III. benevolentia clarissimus, Testamentum scripsit d. 6. Jul. 1656.

Conf. Kevenller in Annal. Ferdin. Burgus de Bell. Svecic. Phanner. Hist. Pac. Westphalic. Pufendorf. de Reb. Svecic. Galeat. Guald. Hist. ab An. 1645. ad 1649. Jos. Riccius de Bell. German. ad An. 1648. Heiss. Histoir. de l'Emp. Tom. 9. p. m. 396. Murator. Annal. ad 1632. Chemnitzius, Piasecius, Alex. Norisius, & turmatim alii.

§. II.

Et cum dulce sit vita Decedenti, umbrabili quadam Dominii perpetuo reviresfcentis imagine delectari, ac veluti Perpetuitatem Sui propagare in Posteros, qui Jussa licet collata in vastam profunditatem Temporum, exequi ac revereri teneantur; ita Is Suprema Voluntate imperavit ut *Bona sua omnia Primigeniali vinculo adstringerentur*, quorum successio restituenda foret Substitutis longo ordine procedentibus *ex Triplici Serie Personarum*.

Advocavit primum Masculos *Agnatos*, descendentes ex Francisco Nepote suo & Comite Sticciani.

 Dein-

Deinde Masculos ex *Familia Extranea* ab Ejus Agnatione, nempe Descendentes ab Joanne Celani Comite.

Postremo ,, *Feminam aut Feminas Proximiores & Conjunctio-* ,, *res ex Sanguine per Lineam Legitimam Naturalem Pa-* ,, *ternam* ,,

Summ. Num. II. Testamentum Octavii. §. Per Erede. Ibi ,, Per ,, Erede mio Universale.... nomino Il Co. Enea Silvio ... ,, Figliuolo Maggiore del Co. Francesco.... mio Nipote... ,, E dopo il mio Erede Universale sia mio Erede il suo Fi- ,, gliuol Maggiore, e di poi il Maggiore di questo Maggio- ,, re .... in infinito....e così da Linea a Linea, e da Pri- ,, mogenito in Primogenito — E finita tutta la Linea del ,, sopraddetto Conte Francesco mio Nipote, dichiaro e vo- ,, glio che nella detta Eredità succeda la Linea Mascolina di ,, Don Giovanni d'Alfonso Piccolomini d' Aragona Conte ,, di Celano nella medesima forma, cioè che la mia Eredi- ,, tà sia, e resti sempre del Primogenito con Titolo, e ,, Qualità di Primogenitura e non altrimenti — *E finiti tutti* ,, *i Maschi Legitimi e Naturali, voglio che l' Eredità passi alla* ,, *Femmina o Femmine più Prossime, e più Congiunte di San-* ,, *gue per Linea Legitima e Naturale Paterna.* Scilicet He- ,, redem Meum Universalem...... nomino Com Æneam ,, Sylvium.... Filium Natu Majorem Comitis Francisci.... ,, Nepotis mei.... Et post Heredem meum Universalem ,, sit meus Heres Ejus Filius natu Major, & postea Major ,, Natus ab isto Majore.... in infinitum.... & sic de Li- ,, nea in Lineam, & de Primogenito in Primogenitum ,, Et extincta penitus Linea prædicti Comitis Francisci Ne- ,, potis Mei, declaro jubeoque prædictam Hreditatem de- ,, volvi in Lineam Masculinam Domini Joannis Filii Al- ,, phonsi Piccolominei de Arragonia Comitis Celani eodem ,, modo, ita ut mea Hereditas sit & permaneat semper in ,, Primogenito, Titulo & Qualitate Primogenituræ & non ,, Aliter = *Atque Exstinctis omnibus Masculis Legitimis &* ,, *Naturalibus, Volo meam Hereditatem progredi in Feminam* ,, *aut Feminas Proximiores & ex Sanguine Conjunctiores per* ,, *Lineam Legitimam Naturalem Paternam.*

§. III.

§. III.

Auguſtiſſimorum Impp. *Ferdinandi II.*, *&* *III.*, Privilegia jam conſtiterant, ex quibus efficaciam & robur omne mutuaretur Teſtamentaria Diſpoſitio, ex qua decernebatur Succeſſio in Dignitates ampliſſimas & in Jura Dynaſtiæ Nobilioris; Eamque poſtea ſua confirmaverat Auctoritate *Ferdinandus III. eodem An.* 1656.

§. IV.

Deceſſit Octavius, & Maſculi ex Ejus Agnatione jam occuberant omnes Ann. 1758.

Hinc ex Celani Comitum Familia Maſculi defuere, quorum poſtremus, Joſephus S. R. I. Princeps, fatis ceſſit. An. 1783.

Propterea eo res hodie devenit, ut de Succeſſione Feminarum agendum ſit, quæ advocantur ad Primigenialia Bona capeſſenda.

§. V.

Cum autem iis accenſeatur *Dynaſtia Nackodtii*, quæ in Bohemiæ Regno, & in Circulo ſeu Provincia Reginohradecenſi ſita eſt, inde apud *Exc. Pragenſe Conſilium Juſtitiæ* ſua Jura propoſuerunt

Illuſtriſs. & Excell. D. Nicolaus Marchio Guadagnius

Illuſtriſs. & Excell. D. Comes Joſephus Desfours

Illuſtriſs. & Excell. D. Anna Maria ex Principib. Piccolomineis, Ducis Terræ Novæ & Montis Leonis Conjux

§. VI.

Quapropter quæritur in hoc Judicio, cui debeatur Succeſſio in Primogenitura conſtituta a Pr. Piccolomineo

An Marchioni Guadagnio tanquam Deſcendenti ex Linea Octaviæ Benignæ Ejus Aviæ, quæ fuerat Filia Comitis Franciſci de Sticciano.

An

An Comiti Desfourfio ut Defcendenti ex Linea Laudomillæ Ejus Matris, quæ fuit ipfius Comitis Francifci NEPTIS.

An Duciffæ Montisleonis, uti SORORI Principis Jofephi Comitis Celanenfis, qui Noviffimus fuit Bonorum Primogenialium Poffeffor.

§. VII.

Jam vero cum omnis diftrahendarum Controverfiarum Ratio fit pofita in perfpicienda *Voluntate Pr. Piccolominei*, Cæfarum Placitis confirmata, qui poft Mafculorum omnium extinctionem fubftituit Familias alias defignatas nomine *Feminarum Proximiorum & ex Sanguine Conjunctiorum per Lineam Paternam*, hoc ita, Pro Veritate inquirenda ac determinanda confultus, exequar, ut inde conftet *Dynaftiam Nackodtii* & Bona reliqua Primigenialia, *Uni Nicolao Marchioni Guadagnio* effe adjudicanda ex *Prærogativa Lineæ Dilectoris*.

§ VIII.

Quod ut aptius proponi poffit

I. *Declaratur Voluntas Pr. Octavii*

II. *Oftenditur Nullum Jus deberi Clarifs. Feminæ Superftiti ex Familia Celanenfi Principum Piccolomineorum*

III. *Neque Succeffionem tribuendam effe Defcendenti ex Laudomilla Comiti Desfourfio, fed Eam adfcribendam effe Marchioni Guadagnio tanquam Octaviæ Benignæ Nepoti*

IV. *Cum præfertim Cæfarea Auctoritas acceſſerit, quæ Succeffionem illi debitam effe firmiffime decernat.*

AR-

ARTIC. I.

Declaratur Voluntas Pr. Octavii Piccolominei.

§. I.

Successionis Jura Testator detulit Masculis prodeuntibus non ex *Una*, sed ex *Duabus* omnino diversis ac separatis Familiis.

Vocavit primum *Masculos Agnatos suos* ex Francisco Nepote descendentes, scilicet *Pierios* Sticciani Comites.

Catharina Pii II. Pontificis Soror nupsit Bartholomæo Guglielmi. Ex eo Matrimonio nonnisi *Antonia*. Hanc sibi connubio junxit Bartholomæus *Pieri* Dynastes Sticciani, exinde in Nomen & familiam Piccolomineorum adscitus. Is quidem fuit Atavus *Principis Octavii*, atque Æneæ ejus Fratris, a quo descenderat Comitum Sticcianensium Familia. *Hadrian. Hist. Flor. lib.* 9. *Aug. Thuan. Hist. Lib.* 10. *Imhoff. Genealog. Vig. Illustr. Fam. Ital. p. m.* 157. *&* 179.

Deinde iis extinctis, substituit *Descendentes* ab Joanne *Todeschini* Comite Celani.

Laudomia Pii II. Soror altera nupsit Joanni Todeschini, pariter in Familiam & nomen Piccolomineorum adoptato, ex quo *Antonius* a Ferdinando Aragonio donatus Comitatu Celani. Inde Comites *Celanenses*, & ex iis superstes Nobilissima Femina Anna Maria. *Summont. Istor di Nap. lib.* 5. *Philipp. Buonamici de Script. Pon. pag.* 216. *Mansius in App. ad Orat. Pii II. Part.* 3. *pag.* 214.

Inde certum est, vocasse *Masculos ex Propria Agnatione*, postea *Masculos* ab ejus Agnatione prorsus *Extraneos*, & cum

cum quibus nulla unquam intercedere posset *Sticcianensis* seu Paterni Sanguinis copulatio.

§. II.

Cum autem eo usque suam porrexerit voluntatem, ut complecteretur quoque *alias Familias* tum a Sticcianensi tum a Celanensi diversas, quibus Succedendi Jura tribuere vellet, inde iis extinctis Masculis omnibus, *Feminas* substituit, a quibus Personarum Novus Ordo duceretur, in quem pro temporis opportunitate commigrare posset Primigeniale Patrimonium.

Summ. N. II. Testamentum „ Finiti tutti i Maschi voglio che „ l' Eredità passi alla Femmina, o Femmine „ *hoc est* „ Ex- „ tinctis omnibus Masculis Volo Hereditatem ad Feminam „ aut Feminas progredi.

§. III.

Verum cum Feminas non ex *Duabus* iis Familiis, sed ex *Una* tantum venientes advocare vellet, non in *simplici Designatione* Feminarum substitit, qua utriusque Gentis Feminas ad Primigenialia Bona obtinenda invitasset, sed cum hoc prorsus noluerit, protinus adjunxit Demonstrationes alias, quibus constaret Voluntas seligendi Feminas non ex *utraque* sed ex *una* dumtaxat Familia progredientes. Ac ne Ejus Dispositio in ambiguo versaretur, dubitationes omnes submovit, statuitque Primigenialia Bona progredi debere a Masculis *ad Feminas proximiores & conjunctiores sanguine per Paternam lineam*. Quo ipso noscimus, *Octavium*, quandoquidem extingueretur *Celanensium* Masculorum Extranea Familia, *Feminis Agnatis* suis prospexisse, ut plane certum sit, quod *Lineæ Paternæ* Designatione suam ipse Agnationem significaret.

Summ.

Summ. N. 11. *Test.* „ Femmine più Prossime e più congiunte
„ di sangue per Linea Legitima e Naturale Paterna = Feminas Proximiores & conjunctiores ex sanguine per Lineam legitimam & Naturalem Paternam.

§. IV.

Exinde cum Feminas Proximiores per Lineam Paternam, scilicet per Seriem Personarum *in omnia tempora* quoad fieri posset, progressuram descendentes substituisset, plane conficitur, tum quod *Extraneas omnes* a Successione excluserit, tum quod vocaverit Feminas *Proximiorum* nomine designatas, ut *Proximitatis*, scilicet Cognationis seu Linearum ex Feminis progredientium Jura statueret. Prudens Testator probe noverat, quod omnes noscunt, Jura Primigenialia delata *Primogenitis*, *Majoribus*, *Proximioribus &c.*, eorum morte non restingui, sed in eorum Posteritatem propagari. Ex quo dubitari prorsus nequeat, quin præcurrente cupidiore Familiæ conservandæ desiderio, Pr. Piccolomineus ut qui altissimo semper animo fuit, atque Immortalitati sua omnia commendare assuetus, post Masculorum Lineas, substituerit Lineas Feminarum, per quas Ejus Familia protraheretur.

§ V.

Est vero, ut quod rei perspicuitas ex verbis mox allatis constituta demonstrat, id fortius aliis ex eodem Testamento verbis adstruatur, ut plane constet Paternæ Lineæ Designatione, Testatoris *Agnationem significari*, & Feminas Agnatas dumtaxat, ad Primigenialia Bona consequenda fuisse delectas.

Et quidem, cum Testator agit de ordine Successionis Masculorum prius vocatorum, & de transferendis Juribus ab una in alteram Eorum Lineam, ita successionem determinat, ut una aut altera extincta, Hereditatem consequatur

Masculus, qui fuerit *Proximus Postremo Primogenito per Lineam Masculinam*.

Sic, qui Præceptum spreverit *de non Nubendo nisi Feminæ Nobiliori*, hereditate privatur, extemplo conferenda *Proximo ex Sanguine per Lineam Masculinam*.

Summ N. II. Testam. §. *Per Erede. Ibi* „ Finita la Linea dei „ Primogeniti, voglio che succeda chi *per linea Mascolina* „ sarà il *Prossimo all' Ultimo Primogenito* .... In difetto di „ Primogenito (l'Eredità vada) nel Prossimo all' Ultimo „ Primogenito Legittimo e Naturale per *Linea Mascolina* „ = *idest* = Extincta linea Primogenitorum volo Eum succedere qui per *lineam Masculinam erit Proximus* Ultimo Primogenito .... Deficiente Primogenito (Hereditas transeat) in Proximum Postremo Primogenito legitimum & „ Naturalem, per *Lineam Masculinam*.

Et in §. *E contravenendo* Ibi = Voglio che ipso facto ricada, „ e s'intenda esser ricaduta la mia Eredità al *Prossimo di* „ *sangue per Linea Masculina* e Naturale = *hoc est* = Jubeo „ meam ipso facto deferri Hereditatem & censeri delatam „ *Proximo ex sanguine per Lineam Masculinam* & Naturalem

§. VI.

Ita quidem Testator, quoties *Familiæ* seu *Agnatitiæ*, seu *Extraneæ* Lineas, se se in conversione temporum excipientes comprehendit, ea formula utitur, quæ complectatur utriusque Gentis Masculos; Eam quippe sanguinis Conjunctionem exprimit apposita designatione *Lineæ Masculinæ*, quæ Masculis omnibus ex utraque Familia *conveniret*.

Contra vero, quum *extinctis Masculis*, Feminas invitasset ex Una Linea tantum, *hanc Lineam* non Masculinam appellavit, sed præfinita Qualitate, & *Formula Alia* evidentissime ac considerate superaddita, voluit sibi Agnatitiam esse debere; siquidem Feminæ *Proximiores per Lineam Paternam*, aliæ esse nequiverint, nisi quæ Testatoris Agnationem

nem attingerent, & quæ Ejus Familiam producere possent.

§. VII.

Enimvero sublatis Masculis, nulla amplius suberat ratio conservandarum Agnationum: unde cum Successio ex Lege Testamentaria transferenda foret per Feminas, in Novas prorsus Gentes, quæ Familiam Testatoris promoverent, nulla amplius haberi poterat ratio unius aut alterius Possessoris jam vita functi, sed omnia ad suam Causam remigrare debuerant, atque ad ipsum Testatorem necessario referri, qui non Bonorum Fideicommissorum Possessoribus, sed Sibi Ipsi adscripsit heredes. Ex quo palam est, *Feminas Proximiores per Lineam Paternam* descendentes, Eas proculdubio censendas esse, quæ ex Testatoris Agnatione proficiscerentur, & ex Quibus Cognatorum Lineæ propagandæ forent.

§. VIII.

Illud etiam accedit, quod firmissima observatione repetendum est, non hic agi de *Una* tantum, sed de *Duabus* diversis distinctisque Familiis Masculorum præcedenti Vocatione comprehensis: unde quum iis extinctis, Octavius adsciverit *Feminas Proximiores ex Paterno Sanguine & per Lineam Paternam prodeuntes*, ea Designatione *nunquam vocare potuit* Feminas ex utraque Familia nascituras; namque inter Personas diversæ originis nulla est *Conjunctionis substantia*, ac nulla Paterni sanguinis conjunctio.

Atque ita, cum Testatoris voluntas omnia Tempora, Eventus omnes complectatur, quibus Masculi omnes occubuissent, qua nam ratione aut *Celanensium Feminæ* succedere potuerant, *tamquam Proximiores per Lineam Paternam* Masculis Sticciani Comitibus, aut *Feminæ Sticcianenses tanquam Proximiores* ex Linea Paterna, Masculis Celanis? Quæ Paterni Sanguinis copulatio *Pierios* & *Todeschinios* consociare unquam potuerat? B 2 §. IX.

§. IX.

Ac plane, vita defectis omnibus tum Masculis, tum Feminis Sticcianensibus, si Feminæ ex Celanorum Gente superfuissent, nullum iis debitum Jus fuisset, cum destituerentur *Qualitate Paterni Sanguinis* a Testatore præfinita ad Successionem consequendam.

Contra autem, si Celani omnes Masculi Feminæque vita decederent, Feminæ Sticcianenses sua Jura servassent, cum *eæ tantum* & *non aliæ*, Qualitatem Proximitatis retinere possent a Testatore propositam pro Successione determinanda, quæ a *Masculis* ad *Feminas* progredi debuerat.

§. X.

Certum inde ac perspicuum usque adeo est, *Agnatas* fuisse tantum delectas, atque *Extraneas* prorsus exclusas, ut si etiam facto impetu, verborum intelligentia detorqueatur ad Eas includendas, quæ Postremo Bonorum Possessori *Propiores* extiterint, Dispositionis Testamentariæ a Viro Prudentissimo profectæ, sensus plane concidat effluatque.

Princeps Piccolomineus prudentiæ eminentioris gloria enituit, uti patet *ex Act. Public. relat. a Limnæo Jur. Pub. Imper. Rom. Germanic. Tom.* 5. *in Addit. ad Lib.* 5. *Cap.* 12. *p.* 433. *Londorp. Act. Publ. Tom.* 6. *pag.* 576. *Lunig Theutsch Reichs-Archiv. Part. General. pag.* 967. *Andler Corp. Const. Imperial. Tom.* 2. *pag.* 345. *Imhoff. Genealog. Vig. Illust. Fam. Ital. p. m.* 174. *Du-Mont Corps Univ. Diplomat. Tom.* 6. *P.* 2. *n.* 277.

Eo Casu, cur *Feminis Agnatis* suis ac Paterno Sanguine junctis cum Novissimo Possessore Sticcianensi, prætulisset *Masculos* Descendentes ab Joanne Comite Celani, si *Propinquiores Ultimo* ad Primigenialia Jura invitasset? Cur Feminas ex Celanis superstites, *non uti Proximas Postremo*

ut

ut in Superioribus Substitutionibus Masculorum vocaverat, sed tanquam *Propinquiores* nominaret, cum nonnisi de Propinquioribus posset agi? Cur & *Sanguine conjunctiores, & per Lineam Legitimam Naturalem Paternam* venientes designaverit? An ut remotiores arceret, quas tamen quilibet de populo intellexerit exclusas fuisse ipso Jure?

§. XI.

Satis proinde constare puto, *Octavium* quoties vita defecissent Masculi omnes *Agnati & Extranei*, Feminas ex propria Agnatione, Earumque Descendentes advocasse ad Successionis honorem, in quem redintegrandos esse constituit, *dum illud expostulare viderentur. Sanguinis Jura;* Namque per Feminas, veluti per Agnationis extinctæ Reliquias Ejus Familia conservari poterat.

Comites Celani, quos *dilexerat peculiari affectione & singulari aliqua de causa*, is prætulit Feminis sibi Agnatis, hasque posthabendas esse decrevit, ut *Illis tantum faveret*. Sed his extinctis Celanis Masculis, quid unquam est quod ex Octavii Testamento adducatur, cur credamus, Gentem aliam Extraneam ab Extranea Ea Familia post longa Annorum spatia fortasse orituram, præferre voluisse *Feminis Agnatis* suis, Earumque Descendentibus, qui eius Familiam continuassent?

§. XII.

Si Propinquitas Pietate colitur, cur nulla prorsus impellente ratione putemus, Virum præstantissimum in Primigeniali Dispositione constituenda, destituisse quasi abruptum & veluti truncum amputatumque Necessitudinis arctioris Vinculum, dum ea luctuosæ Dissociationis acerbitas pugnat cum naturali Humanitatis sensu, & cum manifesta Ejus Voluntate? Scilicet illud in Primigeniis statuendis usuvenire no-

vi-

vimus, ut post Masculos, Feminæ *in Subsidium* advocentur, ut inde Primigenialis Ordo qui in Lineis Masculorum servari amplius nequeat, in Lineas Feminarum progrediatur.

§. XIII.

Verum quum Feminis Agnatis Jus detulisset, ut Fideicommissaria Bona iis, earumque Lineis restituerentur pro temporis opportunitate, præfinivit *Electionis* faciendæ Normam ac Regulam, ex qua facile tum *Feminæ*, tum *Lineæ* demonstrarentur, quas ipse delegerit.

Ac plane advocavit Feminas non tantum designatas *Paternæ Lineæ Qualitate*, sed *Nomine Collectivo*, - *Designatione Indefinita*, - in *remotissimum tempus*, - *post omnes Masculos quandocumque extinctos*, - *substituit* „ *Feminam aut Feminas Proximiores & Conjunctiores Sanguine per Lineam Paternam* „ descendentes, quæ scilicet ex ordine debuissent *Posterioribus* anteferri: Unde ut Feminam successiva progressione *Proximiorem* prætulerat *Remotioribus*, ita *Ejus Lineam* præponeret, cui pro temporis opportunitate Primigenialia Bona, *Jure Proximitatis*, nempe *Jure Proximioris Lineæ* deberentur.

§. XIV.

Comparationis Index, ac *Necessariæ Relationis Terminus* ad quem exigeretur Proximitatis ratio, nonnisi *Comes Franciscus* Testatoris Nepos considerari potest, a quo uti Masculorum Propinquitatem *Augustissimus Imp. Ferdinandus III.*, ac *Testator ipse*, dimetiuntur, ita Feminarum ex ea Familia, Linearumque ex iis progredientium Proximitas sit æstimanda.

Summ. Num. III. Diploma An. 1656. = Fino a tanto che uno „ della linea del suddetto Conte Francesco viverà = *hoc est* = „ Quousque Unus ex linea prædicti Comitis Francisci vivet *Limnaus in Jur. Pub. Imp. Rom. Germ. Tom. 5. in Addit. ad lib.*

Lib. 5. *Cap.* 14. *pag.* 416. *refert Cæsareum Decretum d.* 23. *Jun.* 1653. pro admittendo Octavio ad Jus Suffragandi in Comitiis Imperii. Inibi postquam Imperator Eundem declarasset habilem ad quæscunque Dignitates in Imperio consequendas, prosequitur = Das sie seine Fürsth. Gn und
„ dero erklärten Kaif ingen Erben (auf den Fall sie mit
„ keinem ehelichen Leibs erben, und Descendenten von
„ dem Allmächtigen gesegnet werden solten) nemlic Herrn
„ Franciscum Piccolhuomini, und auff dessen linea herrürende Primogenitos, auf mas und weise wie vorgemeldt &c.
nempe = Admittit Illustrifs. D. Principem, atque Ejus declaratos futuros Heredes (eo etiam casu quo Deus non
„ illi concesserit Heredes legitimos Naturales, & Descen-
„ dentes), hoc est Dominum Franciscum Piccolhuomini,
„ & Primogenitos venientes ab Ejus Linea, eadem ratione
„ & modo prout superius diximus.
Summar. N. II. Testamentum §. Per Erede = E finita la linea
„ Masculina del predetto Conte Francesco mio Nipote &c.
„ Atque extincta linea Masculina prædicti Comitis Franci-
„ sci Nepotis Mei.

§. XV.

Masculus alius quilibet ex ea Familia considerari nequit, ex quo Sticcianensis seu Paterni Sanguinis *Proximitas* decernatur. Non alter aut alter ex Agnatis, non Intermedii Possessores, non Possessor Novissimus, quum iis omnibus vita carentibus, non *Feminæ Agnatæ* substituantur quæ ex sanguine Propiores superessent, sed *Extranei Masculi* Descendentes ab Joanne Comite Celani. Inde conficitur apertissime *Comitem Franciscum* Cæsareo Placito, ac *Testatoris* Suprema Sententia designatum Stipitem illustris Agnationis, censendum esse *Comparationis Terminum*, a quo Proximitatis Ratio debeat computari.

§. XVI.

Itaque nulla incertæ ac sinuosæ Interpretationis indagine, satis id quod quærimus, apertissima Verba demonstrant. Exclu-

clusit Octavius a Successione Feminas *Extraneas* prorsus radicitusque (§. 5. 12.): Advocavit tantum sibi *Agnatas* (§. 9. 12.); atque inter Agnatas, Eam pro successiva Temporis opportunitate, Ceteris antetulit, quae *Conjunctior* ex Sanguine, *Propiorque* fuisset Comiti Francisco (§. 13. 15.), & ad Quam, aut Ejus Descendentes, qui scilicet *Proximioris* seu *Melioris Lineae Praerogativa* uterentur, Primigenialis Ordo, & Primigenialia Jura extinctis Masculis omnibus, regredi debeant.

ARTIC. II.

Ill. et Excell. Anna Maria ex Principibus Piccolomineis Celanensibus nullum Jus habet in Bona Primigenialia.

§. I.

Quae pro adserendis Juribus *Clarissimae Feminae* proponi possunt argumenta, eo recidunt universa ut deducantur ex arctiore Sanguinis Conjunctione cum Novissimo Bonorum Possessore. Etenim Ea uti Soror *Principis Josephi* qui occubuit An. 1783., eique Propinquior Sanguine, omnibus aliis praeferri debeat. Scilicet facta in remotissimum tempus Substitutione, Proximitatis determinandae ratio desumi nunquam possit nisi a Postremo Bonorum Possessore: Sive ex quo Familiarum Monumenta inveterascant ac pereant, sive quod praesumendum sit Testatorem se adcommodasse legibus Successionis Intestatae, sive quod putetur Eumdem ceteris omnibus praeferre voluisse Proximiorem Ultimo, dum ceteris omnibus Postremum ipsum Possessorem praetulisset.

Pere-

Peregrin. De Jur. Fid. Art. 20. -- *Castill. Controv. Lib.* 5. *Cap.* 91. -- *Molin. De Primog. Lib.* 3. *Cap.* 3. -- *Torre de Major. Vol.* 1. *Cap.* 12.

§. II.

Verum non isthæc sunt, quibus Jura *Sororis* adstrui possint, ac magis est ut ea rejiciamus, quæ facile convellantur apertissima ratione, quod nempe Conjecturæ & Verisimilium investigationes omnes removendæ prorsus sint, quoties agatur de manifesta Voluntate Testatoris.

L. Ille 25. *ff. de Leg. III.* -- *L. Si quis Filium* 3. *C. de Lib. Præt.* -- *Hen. Cocc. Diss. de Eo quod in Dub.* §. 7.

§. III.

Octavii autem Voluntas est manifestissima; Namque post Masculos omnes, Successionem detulit Feminis Agnatis suis Proximioribus, & a Successione repulit Feminas Extraneas, & sic Proximiorem etiam *Postremo Heredi Gravato* (*Artic.* 1. §. 3. 10.).

§. IV.

Hinc Quæstio illa vetus, qua dispicitur, num a *Disponente*, num ab *Ultimo Possessore sit dimetienda Proximitas*, rejici omnino debet, tamquam a quæstionis nostræ proposito alienissima. Enimvero tunc ea Controversia potest agitari, quoties adsint ex iisdem Lineis Familiisque Proximiores Postremo Possessori qui cum Proximioribus Primi Constituentis possint comparari, ut inde dubia ancepsque sit Voluntas Testatoris cui ex iis voluerit Hereditatem restituendam esse. Ea quidem iisque similia sunt, ex quibus Controversiæ irritamenta suppeditantur.

Peregrin. de Fid. Art. 20. *n.* 11. „ Et in hoc dubio proprie „ procedit Quæstio. „ *Rot. Rom. Rec. P.* 18. *T.* 1. *Dec.*

 18.

18. *n.* 2. „ Quæstio procedit in simplici Vocatione non au„ tem quotiescumque est qualificata. „ *Torr. De Major. T.* 1. *Cap.* 12. *n.* 1. „ Quod vel agitur de Descendentibus Ulti„ mi Possessoris vel de Transversalibus & *num.* 3. „ Du„ bium quando Possessor decidit absque Filiis, & agitur de „ Possessione Majoratus inter Transversalem Proximiorem „ Ultimi Possessoris & alterum Primi Institutoris respectu „ Proximiorem. *Jos. Leop. Roth. in Pand. Feud. ad Stryck. Exam. Cap.* 14. *Qu.* 17. *p. m.* 528. *Ita alii omnes.*

§. V.

Verum cum Testator liquido succedendi Ordinem statuisset, vocando post Masculos extinctos *Feminas Proximiores per Lineam Paternam*, scilicet Agnatas, exinde Dubitationes omnes amovit, dum Extraneas, atque Proximiores Ultimo Possessori excluserit Lege Testamentaria cui omnino sit obtemperandum. Qua quidem cum vetuerit adhiberi Conjecturas Præsumptionesque, ex quibus pro disceptantium arbitrio ingenioque ea quæstio conflatur, non est cur putemus *Sororem Ultimi Possessoris*, Verisimilium agmine juncto, posse extorquere quod illi abjudicavit evidens Voluntas Testatoris.

Wolf. J. N. Part. 7. *Cap.* 5. §. 1069. „ Quum liberrima re„ gnet in Heredis Institutione Voluntas Testatoris, Legem „ restitutioni potest scribere quamcumque voluerit. „ *Hanacc. de Test. Legislator.*

§. VI.

Inde ad ejus Proximitatis, de *qua hic nulla quæstio esse potest*, rationem determinandam, præsumantur quælibet sive ex Diuturnitate Temporis, sive ex probabili conformatione Voluntatis cum Intestatæ Successionis Regulis, sive quomodolibet Controversia resolvatur, Ea quidem omnia ad res nostras non faciunt, & a disputatione nostra sunt peni-

nitus aliena. Scilicet illud firmum atque immotum perstat, quod Femina etsi Propinquior Propiorque *Ultimo Possessori Gravato*, admitti nunquam possit, quæ uti *Extranea* exclusa fuit ex Testatoris Voluntate, quam exploratissimam habemus, dum post Masculos, sibi Heredes esse decreverit Feminas Agnatas & ex Paterno Sanguine descendentes.

Rot. Rom. Rec. P. 12. *Dec.* 497. *n.* 1. „ Frustra vagatur per „ ejusmodi Conjecturas ubi concurrit explicita Voluntas Te- „ statoris. „ *Ita DD. omnes.*
Böhemer. Consultat. & Decis. Tom. 1. *Resp.* 698.

§. VII.

Quæ jam proposuimus, sic nobis videntur Justitiam ac Veritatem evidenter complecti, ut ab aliis superaddendis abstinere tuto possemus: Verum majoris observantiæ causa, proferri possunt alia rationum momenta ad controversiam illustrandam.

Quo faciunt quæque certissimi Juris sunt ex Natura Fideicommissariæ Restitutionis. Enimvero ut Possessores alii, ita postremus Possessor, Dominium Resolubile, ad ejus Vitam præfinitum, Usufructui simillimum retinet; unde eo e vivis sublato, nulla ejusdem ratio amplius habenda sit, ac si nunquam ad Successionem venisset.

L. Hereditatum ff. ad Leg. Fal. -- *L. Omnes* §. 1. *ff. de Reg. Jur.* -- *A. Faber in Cod. Lib.* 6. *Tit.* 18. *e Tit.* 22. *Definit.* 17. -- *Molin. de Primog. Lib.* 1. *Cap.* 19. *n.* 39. *Sorg. Jur. For. T.* 7. *Cap.* 24. §. *His accedit* „ Extincta prima Classe nempe Masculorum, de ea nulla amplius ratio habenda est, ac si nunquam vocata & admissa sit. *Heinecc. Consil. & Decision. Tom.* 1. *Resp.* 9. *n.* 11. & 13.

§. VIII.

Hinc quotiescumque alter sufficitur, continuo Vocatio refertur ad suam Causam, eique delatæ ipso Jure Actiones

censentur, quem Testator delegit ex ordine, Sibique tantum, non autem Novissimo Possessori adscripsit Heredem.

Tot. Tit. ff. ad S. C. Treb. -- *L. Coheredi §. Cum Filiæ ff. de Vulg.* -- *Fachinæ. Contr. Jur. Lib. 4. Cap.* 85. „Quod in Fideicommissis succeditur Defuncto Testatori, non autem Heredi „Gravato: quia si non succeditur in Bonis Gravati, cur „deberet haberi ratio Proximitatis Ejus? Ratio autem Proximitatis habetur respectu Ejus cui succeditur. *H. de Cocc. De Succ. Fem. Sect.* 2. §. 5. „Jus Successionis non „incipere a momento demum novissimæ Successionis, sed „a momento Primæ Dispositionis. *Georg. d'Aubusson. la Défense du Droit de Mar. Ther. pag.* 9. „La raison est, que „l'Héritier du Mayorasque ne prend pas son Droit de la „Volonté, ou de l'héritage du Dernier Possesseur; il le tire „de la Constitution du premier Fondateur de la Maison, „de la Suite des Générations, de l'Ordre de la Primogeniture &c.

§. IX.

Quare cum Pr. Piccolomineus post Masculos omnes tum *Propriæ* tum *Extraneæ Familiæ*, Feminas sibi statuisset Heredes, quæ forent *Proximiores*, & *ex Sanguine Paterno Conjunctiores* (*Sup. Art. I.*), proculdubio non nisi in Agnatorum Familia esse potuit *Comparationis Terminus* a quo *Proximitas* æstimaretur, qui aut Testator esset, aut Alter quem is pro Stipite designasset. Quo ipso noscimus Eas Feminas tantum elegisse, quæ fuerint Proximiores Comiti Francisco, Eas vero *nunquam* quæ ex Familia Extranea progrederentur, licet etiam Proximiores essent Postremo Possessori.

Bartol. in L. Cum in Testamento ff. de Aur. & Arg. -- *Leg. Peregrin de Fid. Art.* 20. *n.* 9. = Secundus est Casus, cum ex „dispositis potest videri Testatorem contemplasse Descendentiam & Conjunctionem Sanguinis respectu sui Ipsius, „& hoc Casu spectetur Proximitas Testatoris; nam semper „inspicitur in quos verba direxerit, quia substituisset Pro-

„xi-

„ ximiores sui Generis . . . vel Feminas de Domo & Agna-
„ tione. *Latissim. congest. apud Fusar. Molin. Torr. Castill. &c. D'Espeisses Oeuv. Tom. 2. P. 1. Tit. 2. Sect. 6. Art. 2. n. 17.* = Et lorsqu'il est incertain lesquels il a voulu appeller, ayant
„ substitué simplement les *Plus Proches*, le Fidéicommis
„ appartient aux plus Proches du Testateur. *Hertzius Responsor. Tom. 1. Resp. 514. Quaest. 5. Böhemer. Consilior. & Respons. Part. 2. Resp. 86. n. 32. & seqq.*

§. X.

Cujus quidem adsertionis ratio certissima & vulgatissima est, & quae inter quotidianas & usu Fori pertritas Juris regulas accenseatur: quod scilicet quoties Successio *Novam Lineam* ingreditur, fortius vero cum *ex Una* in *Alteram Familiam* traducatur, necessarium prorsus sit, *Proximitatem* dimetiri a Testatore, dum ea *nonnisi ex ejus consideratione argui possit*. Hinc quoties ab exstincta Familia Masculorum Celanensium, Jura Succedendi progredi debeant in *diversam omnino Familiam*, profecto *Terminus necessariae Relationis* pro ea decernenda Proximitate, nonnisi inter *Agnatos* Testatoris quaeri potest, numquam sane inter Personas ab Ejus Agnatione alienas. Quamobrem, uti liquet Proximitatem *a Celanorum Ultimo* non esse dimetiendam, ita conficitur evidenter a Successione excludendam esse ejus Sororem, si res debeat ex Jure censeri.

Bartol. & al. innum. ad L. Si Cognatis ff. de Reb. Dub. & ad L. Cum ita §. in Fideicommisso ff. ad SC. Treb. Castill. contr. Tom. 5. Cap. 76. „ Velut praecisum & necessarium videtur,
„ quod quaeramus originem, seu radicem, & revertamur ad
„ Institutorem, non ad Ultimum Possessorem. *Rot. Rom. Rec. P. 8. Dec. 135. n. 15.* „ Agnatum venientem ad Successio-
„ nem Ultimi sine Masculis decedentis, non venire ut ex
„ nunc, sed ut ex tunc, eo quia Proximitas Testatoris est
„ attendenda, non Ultimi Morientis, eo Casu in quo Li-
„ nea Ultimi Defuncti finitur. *Et Part. 9. Dec. 458.* = Ne-

„ mi-

„ minem diffentire ab hac opinione fi concurrat talis Con-
„ jectura Mutationis Lineæ aut Vocationis Novarum Per-
„ fonarum. *De Luc. De Fid. Difc.* 17. -- *Torr. De Major. Tom.* 1. *Cap.* 12. §. 2. *n.* 15. *Molin. Peregrin. aliique communiter* -- *Maynard. liv.* 5. *Ch.* 52. *la Roche Arrêts Liv.* 4. *Mot. Teftament. Tit.* 5. *Artic* 12. -- *Hen. Böhemer. in Pofitionibus de Ordin. Succedend. poft Tractat. de Actionib. Cap.* 2. *Memb.* 3. = Sane uno Cafu ad Proximitatem Fideicommit-
„ tentis refpicitur tantum, fi fcilicet Fideicommiffum Ex-
„ traneæ Perfonæ relictum fub conditione, ut poft mortem
„ fuam Familiæ Teftatoris reftituat.

§. XI.

Eæ quidem rationes ex quibus veritas plane conftat, quæque vim tantam afferunt in Judicando, fortaffe excitarunt Pragenfes Judices ut decernerent *Sententia prolata d.* 25. *Maji*, atque *Altera d.* 14. *Decemb.* 1784., nullum Jus in *Nackodtii Dynaftiam* competere Sorori Principis Jofephi ex Celanenfium Familia Poftremi Poffefforis. Inde rejecta penitus, uti inopportuna & omnino aliena, ifthac queftione pro determinanda Succeffione in Primogenitura a Pr. Piccolomineo conftituta, dubitari nequit quin *Excelfum Pragenfe Confilium Juftitiæ* in eadem Sententia perfeveret, dum id prorfus depofcat Legum Auctoritas, quæ firmiffime tuetur Supremas Morientium Voluntates.

AR-

ARTIC. III.

ILLUSTR. ET EXCELL. D. COMITI JOSEPHO DESFOURS IN SUCCESSIONE PRIMIGENIALI PRÆFERENDUS EST ILL. ET EXCELL. D. MARCHIO GUADAGNIUS EX PRÆROGATIVA LINEÆ DILECTIONIS.

§. I.

QUæ facere videntur ad adferenda Jura *Comitis Josephi*, eo argumento possunt contineri, quod is ad successionem sit advocandus tamquam Filius *Laudomillæ*, quæ per Lineam Paternam & arctiore Sanguinis conjunctione Proximior fuerat *Principi Octavio Juniori*, Novissimo Possessori rerum fideicommissarum, ex Sticcianensium Comitum Familia *Masculo Postremo*.

§. II.

Sed non est cur putemus ea iisque connexa rationum momenta posse suffragari juribus *Filii* Laudomillæ; Etenim cum Testatoris Voluntas duplicem in Femina exquirat prærogativam, & quod *Agnata* fuerit, & quod *Proximior* Comiti Francisco (*Sup. Art. I. §. 9. 10. 11. Artic. II. per tot.*); atque ita cum *duas Qualitates* definiat, non sufficit quod una adsit, quum altera desit; namque nonnisi utriusque facta compagine expleri potest Voluntas Testatoris.

L. Quoties. 15. C. de Rei Vind. -- L. 1. ff. de Leg. Hottoman. Q. III. 4.

§. III.

§. III.

Ex facto autem eſt, quod *Laudomilla* Comitis Franciſci *Neptis*, Proximitate, & Conjunctione Sanguinis arctiore ſuperaretur ab *Octavia Benigna* ipſius Com. Franciſci *Filia*, ex qua deſcendit *Marchio Guadagnius Summ. N. XVI. XVII. XVIII. Imhoff Genealog. Vigint. Illuſtr. Fam. Tab. II. pag.* 157. *n.* 19.

Inde prout Nativitatis Tempore *Octavia* prævenerat *Laudomillam*, eamque vicerat *Proximitate Sanguinis Paterni*, ita ab Ea Deſcendens *Guadagnius* vincere debeat ex Altera prodeuntem *Comitem Desfourſium*, prout conſtat ſi obſervemus

I. *Jura Feminarum*

II. *Jura deſcendentium ex iiſdem*

III. *Prærogativam Lineæ*

§. IV.

Jura Feminarum.

Occubuit Teſtator An. MDCLVI. Feminis extemplo omnibus ex Paterna Sticcianenſi Linea aut *Natis* aut *Naſcituris*, ſubortum Jus pro Temporum opportunitate conſequendi Primigenialia Bona, ac ſimul Jus conſtituendi *Lineas Primogenituræ Habituales*, quibus cuſtodiretur Spes Succeſſionis a Teſtatore delatæ *Feminis Proximioribus*, quoties *Actuales Lineæ* extinguerentur.

Inde omnibus *ſucceſſive* Vocatis reſervatum Jus fuit *quoties Maſculi defuiſſent*, ita ut Maſculorum Exiſtentia non illis præriperet, ſed tantum impediret Fideicommiſſi translationem. Sic Feminæ advocatæ in Agnationis pereuntis *Subſidium*, conſervare debuerant in Familia Teſtatoris Primigeniale Patrimonium.

§. V.

§. V.

Quapropter a *Momento* mortis Teſtatoris, Primordium *Translationis Jurium in Feminas Earumque Lineas*, repetendum eſt, quæ initio non eventu debeat judicari; Namque Jus illud Feminis delatum, Morte Diſponentis fixum & immutabile evaſit, & Promiſſionis irrevocabilis efficacia conſtitit adeo, ut Obligationes vincula & quæ ex voluntate *Octavii* perpetuo ſervanda erant, non amplius poſſent immutari, aut privata alicujus Auctoritate ſubverti.

L. 26. ff. de Stip. Serv. L. Procuratorem 8. ff. Mandat. -- *Beſold: Conſ. Part.* 5. *Conſ.* 238. *n.* 38. -- *Knipſchild De Fideicomm. Cap.* 8. *n.* 382. „ Jus Radicatum & conſiderabile dicatur „ quando facta eſt Subſtitutio & Teſtator mortuus eſt. *Stryck. int. Conſ. Hallenſ. Jur. F. Reſp.* 32. *n.* 26.

§. VI.

Hinc *Octavia Benigna*, quæ tum Quartum Annum agebat, ut *Comitis Franciſci Filia*, ea quidem fuit, quam nulla alia Femina ſive Nativitatis tempore, ſive Arctiore Sanguinis conjunctione ſuperare poſſet. Inde Jus quod tamquam *Major*, ſeu *Proximior* obtinuit, Jus Reale fuit, ac Veriſſimum, licet in Spe adſequendæ Hereditatis conſtitueretur, quo tempore impedimenta ſubmoverentur, illudque eſt, quod ***Radicatum***, & ***Eventuale*** DD. appellant.

Bart. in L. Poſt Emancipationem §. 1. *ff. de Lib. Leg. Tuſch. Lit. I. Concluſ.* 629. *n.* 4. *Kellemberg de Renunc. Succ. Qu.* 26. *n.* 4. *Lauterbach. Comp. Digg. De Pact. p. m.* 51. *Carpzov. Juriſp. For. Part.* 3. *Conſtit.* 9. *Def.* 8. *n.* 123. *Torre de Major. T. I. Cap.* 21. §. 5. *n.* 67. = Hujuſmodi ſpes quam „ habet Succeſſionis in Primogenitura & Majoratu ſit adeo „ certa & invariabilis ut dicatur Jus Quæſitum etiam ante „ Mortem Poſſeſſoris, eo quia idem Jus habeant in Subſtitutionibus Fideicommiſſariis Naſcituri quam Nati.

§. VII.

Quæ proculdubio *Spes debitum iri*, non Nuda & simplex Spes est, sed quæ firmiter adhæreat Promissioni Testatoris non amplius perituræ, usquequo possint Bona Fideicommissaria, scilicet Promittentis voluntate obligata, transscribi in statutos ex ordine successores.

Inst. Tit. de Verb. Oblig. -- *Knipschild. De Fid. cap* 8. *n.* 385. = Alia autem est spes probabilis certa & Proxima in re „ vel Jure præterito vel presenti Radicata, qualis est Spes „ Fideicommissaria etiam vivente Eo, qui post mortem suam „ fuit gravatus, quia est de Hereditate Mortui, cui succe- „ ditur, quæ dicitur esse *loco Rei vel Pretii*. *L. cum Donatio-* „ *nes. C. de Transact.* & Rei Appellatione venit. *L. Nomi-* „ *na ff. de Her. vel Act. Vend.* -- *Hen. de Coccei Disput. de Ord. Suc. Femin. Ill. Sect.* 2. §. 15. „ Non ex substantia „ Spei nascitur, sed ex Dispositione adjecta, qua id actum „ est ut in eventum aliquid præstetur, & consequenter in „ eum eventum omnia integra custodiantur. Ea demum spes „ intelligitur, quæ ex Dispositione nata, atque hinc cum „ obligatione conjuncta Verissimum Jus Actu constituit, „ & ut alia Obligationum Jura consistunt in Jure Eventuali „ petendi, & ab altera in Necessitate Eventuali præstandi.„

§. VIII.

Propterea a Momento Mortis Testatoris, habuit *Octavia* non tantum Spem succedendi, cum aliis omnibus Feminis in conversione temporum nasciturus *Communem*, verum etiam habuit sibi omnino proprium *Jus Prælationis*, cum alias omnes Proximitate Paterni sanguinis superaverit. Inde Bonis Fideicommissariis ea Obligatio infixa fuit, ut Eidem tum uti *Feminæ Agnatæ*, tum uti *Majori & Proximiori* deberentur, quoties anteriorum Vocatorum impedimenta cessassent; Enim vero Jus Feminis concessum eatenus suspendebatur, quoad Masculi superessent, quibus extinctis, *Temporariæ* Exclusionis ratio nulla haberi unquam potuerit.

Fon-

Fontanell. de Pact. Nupt. T. 1. *Clauf.* 4. *Gloff.* 25. *n.* 17. „ Su- „ fpenfa tantum Succeffio durante Caufa Exclufionis.„ *Gaill. Pratic. Obferv. Lib.* 2. *Obf.* 148. -- *Knichen. de Veftit. Pactor. Part.* 1. *Cap.* 3. *n.* 122. *Cap.* 4. *n.* 72. -- *Molin. de Prim. Lib.* 3. *Cap.* 10. *n.* 28. „ In his namque Difpofitiones Morien- „ tium (quoad effectum Succeffionis) pendere poffunt, nec „ in hoc poteft adfignari aliqua differentia inter Difpofitio- „ nes Viventium & Morientium -- *Sorg. Jur For. T.* 7. *Cap.* 24. *n.* 3. §. *Valida* „ Finita Caufa Exclufionis Feminarum, „ Earumdem Vocatio jam pridem fufpenfa, ad priorem fta- „ tum redire debet, perinde ac fi a principio Defcenden- „ tes five Feminæ five Mafculi fuiffent invitati; quo cafu „ nulli dubium effet, quin Prior Femina Teftatori Proxi- „ mior præferri debeat, nec obeffe eidem poffit quod a „ principio non fuerit admiffa propter Mafculi Remotioris „ exiftentiam.. -- *Heinecc. Confilior. & Decifion. Tom.* 1. *Refp.* 8. *n.* 29. *aliique innumer.*

§. IX.

Jus vero illud Feminis delatum, quodque *Ante Alias priore loco debitum Octaviæ fuit*, licet fufpenderetur Vocatione Mafculorum, ita fimplex ac nudum credi nequit, ut omnia ex eo pendentia reputari tunc folum debuerint, quoties Mafculi defiifent; Namque, ut notiffimi Juris eft, manarunt exinde plures effectus, ex quorum confideratione adferatur, Feminas etiam Mafculis extantibus, aliquid ex Juribus Hereditariis participaffe, eaque propius attigiffe.

Ac prorfus ex *congrua ratione Temporum & Perfonarum*, dubitari nequit, Feminis a Lege Facultatem conceffam fuiffe, ut a Primogenito Poffeffore exigere poffent, & quod *Inventarium* conficeret, & quod *Satifdationem* præftaret. Pervagati pariter Juris eft, quod illis fuerint tributa Remedia omnia, quibus Bonorum integritas fervaretur, five ut *Dilapidationi* refiftere poffent, five ut *Diftractionibus* neceffariis confentirent, five ut præberent adfenfum *Contractibus & Tranfactionibus* bona fide peractis.

L. Inter omnes ff. Qui satisd. -- Knipschild. de Fid. Cap. 12. *n.* 25. „ Et peti potest hujusmodi Cautio a Fideicommissariis Pro- „ ximioribus „ sed etiam ulterioris Gradus. *Ita Molin. Pe-* „ *regrin. Torr. Ludolph. & passim DD. Prax. quotidian. -- Aug. Leyser. Medit. ad Pand Specim.* 407. -- *Ortwin. Westemberg. in Divo Marco Diss.* 35. -- *Hen. Böher Consult. & Decis. Jur. Privat. Vol.* 2. *P.* 1. *Argum.* 698.

§. X.

Eo referri facile possent omnia quæ *Petrus Antonius Marchio Guadagnius* Octaviæ Benignæ Maritus peregit, ut pro *Laurentio Piccolomineo* Uxoris Fratre recuperaret *Dynastiam Nackolinam*, quam a Testatoris obitu occupaverat Ejus Vidua *Maria Benigna e Ducibus Saxen-Lawemburgensibus*. Quare quum Concordia esset ineunda, is quidem fuit Cæsarea Auctoritate, licet Florentiæ degeret, invitatus ut Transactioni consensum præstaret, & Conventioni adjungeret robur sua etiam confirmatione.

Summ. N. IV. ubi extat Epistola Imp. Leopoldi ad Petr. Ant. Guadagnium dat. 13. *Maii* 1683. = Neutiquam ambigimus, „ quin Tu ad Concordiam inter Diffidentes stabiliendam id „ ratum acceptumque habiturus, & Transactionem initam „ omnino approbaturus sis: Nos equidem Te hisce certio- „ rem fieri volumus, quod Conventionem hanc tuo etiam „ Adsensu, confirmando, rem Nobis gratam feceris.

§. XI.

Jus porro illud Succedendi, Feminis debitum, & quod *Priore loco ante alias quaslibet debebatur Octaviæ*, ita constans & firmum censeri debet, ut tantumdem sit reputandum quod ex Promissione Testamentaria consurgat, quantum si ex Pacto ac Stipulatione fuerit constitutum. Quod Moribus Germanicis quammaxime convenire credendum est, ex quibus adversus Jus Romanum invaluit Successio Extraordinaria, Anomala, sive Conventionalis. *Bet-*

Betsius de Pact. Fam. Musculus de success. Anomal. &c. *Germani omnes* &c. *Grot. de Jur. Bell. Lib.* 2. *Cap.* 7. §. 22. „ Quale scilicet Jus est iis quæ ex Stipulatione Conditio- „ nata debentur -- *Molin. de Primog. Lib.* 3. *Cap.* 3. = Ea „ omnia procedere sive Jus Successionis in Spe ex Testa- „ mento, sive ex Contractu dependeat -- *Knipschild. de Fid. Cap.* 8. *n.* 385. = Nec refert an talis Successionis Spes ex „ Testamento vel Contractu dependeat.

§. XII.

Inde Bonis Primigenialibus, ex irrevocabili Testatoris Promissione, Ea Qualitas insita fuit, quæ perpetuo iis adhæresceret, ut deberentur Feminis omnibus in Successione Temporum Descendentibus per Paternam Lineam, & *Ante alias omnes cum Prælatione deberentur Octaviæ*, non magis quam Bona delata Pacto, aut non magis quam Prædia obstringantur Creditori ex Promissione Debitoris, quoties advenerit tempus Traditionis Unde certum omnino est, Feminas, & *ante omnes Octaviam*, tale Jus ex Testamento Pr. Piccolominei habuisse in Primogenituram ab eo constitutam, quale Creditores obtinent in Bona ex Pacto & Stipulatione ipsis obligata.

L. Unum 67. *ff. de Leg. II.* „ Videri Electo, quasi Credito- „ ri relictum -- *Knipschild. de Fid. Cap.* 8. *n.* 383. = Atque „ inde de hac Spe idem judicatur ac de Re Ipsa & Jure „ Adquisito Cephal. Cons. 38. n. 6. Lib. 3. Franc. Are- „ tin. Cons. 3. &c. -- *Hen. de Coccеii de Ord. Suc. Fem. Sect.* 2. §. 5. = Quod Successori illud ut Creditori, atque adeo „ ut Æs alienum debeant = & § 6. = Ex ea omnes fiunt „ Creditores, quibus Fideicommissum, ut æs alienum de- „ bitum est.

§. XIII.

Isthæc Jurium complexio *Octaviæ* constiterat, *Momento Mortis Testatoris*, atque ita plurium Annorum intervallo ante-

tequam ex Laurentio Ejus Fratre *Laudomilla* nasceretur. Hinc prodigio simile fortasse videatur, si ex *Neptis* Ortu, *Jus Prælationis* certissimum atque evidentissimum, *Octaviæ* ademptum fuisse arbitremur, quod jamdiu firmiter consistebat, quod jam plures effectus protulerat, quodque veluti Arrhabonis Loco, ac Vice Rei ipsius, & tanquam Jus Quæsitum accensebatur Ejus Patrimonio.

§. XIV.

Quinimmo præclara adeo & luculenta est Octaviæ *Prælatio* ad Primigenialia Bona ante alias quascumque consequenda, ut etiamsi certi & confirmati animi significationem Testator non expressisset *Vocatione Feminæ Proximioris*, attamen ex ejus Voluntate Leges omnes *Eamdem* Laudomillæ prætulissent. Enimvero tempore confecti Testamenti, *quadrimatum* agebat Octavia, ipsius Æneæ Sylvii Heredis Instituti erat *Soror*, Comitis Francisci *Filia*, Testatoris *Proneptis*. Inde quod præsens, quod probe cognita, quod præ nascituris charior omnibus illi fuerit, non est dubitandum. Hinc si ex naturali Propinquorum prædilectione oporteat judicare, in promptu est *Octaviam* designatam fuisse ea demonstratione, quæ veluti nominis vice fungatur, & *Laudomillæ* cœterisque Feminis ignotis, & in conversione Temporum orituris fuisse prælatam.

Ludewig. int. Consil. Hallens. Lib. I. De Jur. Civ. Cons. 309. *n.* 8. -- *Bohemer Consil. & Decis. T. I. Resp.* 697. *p.* 10-7. *n.* 55. -- *Heinecc. Consil. & Decis. T. I. Resp.* 10. *De Ord. Succed. in Majorat. Promnitzian. n.* 17.

§. XV.

Itaque constat apertissime, ex lege Testamentaria delatum fuisse *Feminis* Jus consequendi Bona Primigenialia, atque inter *Feminas* prælatam fuisse *Octaviam*, quod Ea ceteris *Pro-*

Propior fuerit Comiti Francisco, & ceteras omnes Nativitatis tempore antecesserit.

Ac proinde liquet Eamdem prælatam fuisse *Laudomillæ* tamquam *Posteriori*, cui scilicet non tantum Existentia Masculorum, sed *Octavia* ipsa sive *Vivens* sive *Moriens* obicem poneret, quo minus potuerit unquam Jus aliquod consequi ad Primogenituram obtinendam, quod Juribus alterius Feminæ *potentius* conferetur.

§. XVI.

Jura Linearum.

Jam vero ab expositis hactenus Feminarum Juribus, progredimur ad ea disquirenda quæ Lineis debentur. Scilicet illud statui debet, *Jus delatum Feminis Proximioribus*, *in Earum Descendentes translatum fuisse*, *ac propterea Primigenialem Successionem Illi adscribendam esse*, *qui fuerit in Linea Dilectiore*, *hoc est in ea*, *quæ ex ordine Temporum a Femina Majore seu Proximiore ortum duxerit*; *ita ut Is obtineat quod consequeretur*, *si in vivis ageret*, *ea Femina a qua oritur Linea quæ ceteris antistat*.

§. XVII.

Jus hoc *Femininæ Lineæ* firmum quam maxime reputare debet ipse *Desfoursius* Comes, quodque non modo non impugnet, quinimmo amplectatur foveatque, cum ex eo sua jura dumtaxat reclamet quod ex *Laudomilla* descendat Piccolominea, & quod ea Linea contineatur, quæ *Laudomillæ* originem debeat.

§. XVIII.

Illud quidem est quod *Pragense Consilium Justitiæ* jamdiu Comprobavit, Statuit, ac firmissime Decrevit, tum *Senten-*

tia

tia prolata d. 25. *Maji*, tum *Altera d.* 14. *Dec.* 1784.; dum eatenus *Comiti Josepho* adjudicandam esse censuit *Nackodtii Dynastiam*, quoad illi ex Legum præscripto liqueret, Bona Primigenialia debita esse Descendentibus Feminarum Sticcianensium, & quoad existimaret deferenda esse *Filio Laudomillæ*, ut quæ ex erronea credulitate *Proximior Femina* putaretur, cui Testator Primigeniale Patrimonium detulisset.

§. XIX.

Ac reipsa sunt Rationes consultissimæ cur Jus illud Lineis Feminarum adscribatur, in quibus Primigenialis Ordo repetitus elucet. Id quod abunde conficitur I. *Ex Qualitate Rerum Relictarum*. II. *Ex Indole Juris Primigeniorum*.

§. XX.

Repetitio Ordinis Primigenialis ex Qualitate Rei Relictæ.

Agitur hic de Successione determinanda ex Testamento *Octavii S. R. I. tum Comitis tum Principis:* Inde facile adsequimur hic agi de conservandis illustris Nominis Bonis, quorum integritas Primigeniali tantum vinculo custoditur. Hinc apud omnes firma ratione constat, quod cum agatur de Successione in *Jura Honorifica*, in Bona Illustria, atque de Testamentis Nobiliorum, Fideicommissa in *Rerum favorabilium* censu consi.erari debeant, atque *Juri Primogenituræ sit semper inhærendum*; ita ut Primigenialis Ordinis Diuturnitas statuatur pro conservanda Ejus Voluntate, qui Familiæ suæ dignitati videatur prospexisse.

Quæ quidem quammaxime convenire palam est, tum Amplitudini Testamentariæ *Dispositionis*, tum *Personæ Testatoris*

toris Splendorem Familiæ Famam & Immortalitatem quærentis, tum *Personarum* Conditioni quibus relicta debentur, quibusque Familiæ Conservatio deberetur, tum præsertim *Moribus Germanicis*; namque velut in *Paræmium Juris* abiit, quod Jure Primogenituræ succedere, idem est ac succedere *Jure Germanico*.

Ludewig. ad Aur. Bull. Tit. 25. §. 1. *pag.* 430. -- *Id. int. Conf. Hallens. Tom.* 2. *Part.* 2. *Conf.* 92. *n.* 9. 11. & *Tom. I. P. I. Conf.* 309. *n.* 6. & *num.* 16., *ubi quod moribus Germaniæ Fideicommissa Familiæ pro lege æterna & semper duratura reputantur.*
Mantic. de ult. Vol. lib. 6. *Tit.* 15. *n.* 1. = Unusquisque na-„ turaliter studet Familiam suam conservare . . . . Un-„ de multo magis Vir Nobilis & fama & Nomine cla-„ rus, naturali impulsu nihil magis desiderasse credendus „ est, quam suæ Familiæ favere, eamque propagari & con-„ servari ut Zasius &c.

§. XXI.

Ac potissimum cum agatur de Primogenitura evidenter Constituta *in Masculorum Lineis omnibus*, eo certius Primigenialis Ordinis repetendi in Feminarum Lineis Determinatio admittenda est, quo facilius noscitur post Masculos extinctos Vocatas fuisse Feminas, qui *Testatoris Familiam* conservarent. Quo ipso manifeste conficitur non hic agi de *Primogenituræ Constitutione*, sed de *Progressu* Primigenialis Juris jam firmiter constituti, ad cujus Diuturnitatem demonstrandam vel leviora etiam argumenta sufficerent.

Cephal. Conf. 334. -- *Mantic. de Conject. Lib.* 7. *Tit.* 1. *n.* 45. „ Verba quæ deficiunt, benigna interpretatione supplentur, „ & tantus favor Fideicommissis præstatur ut inducantur „ quibuscumque Verbis etiam Enunciativis. -- *Peregrin. Conf.* 34. *n.* 4. & 5. & *DD. Turba* -- *Rot. Rom. Rec. P.* 10. *Dec.* 1. *n.* 104. = Et Fideicommissum, quod semel habuit initium, multo facilius ne intercidat durare præsumi . . . „ & quod ad Declarationem Fideicommissi jam constituti

 „ le-

„ leviores sufficiant Conjecturæ = & n. 109. = Ea non est „ extensio sed Declaratio. *Sic DD. communiter.*

§. XXII.

Quod si ad comprobandam Fideicommissi Perpetuitatem præcipue conducuntur argumenta a *Qualitate Rei Relictæ*, ita ut *Vinculi Diuturnitas* facile statuatur, cum Bona fuerint *Egregia* atque *Illustria*, profecto dubitari nequit, quin Octavius in Familiæ suæ Descendentes Primigeniale Patrimonium conservandum fore decreverit. Ejus Testamento adhærent *Concessiones & Privilegia a Ferdinando II.*, *& III.* eidem collata. Ejus Voluntas non in eo tantum versatur, ut de uno alteroque prædio disponeret, quod nullo peculiari Jure censeretur; Namque Ejus arbitrio supremaque sententia prorsus agitur de transferendis conservandisque *Titulis Illustribus*, *Juribusque in Dignitates amplissimas*, *in Feuda*, *in Dynastias*, quibus Testatoris Familiæ splendor perpetuo conservaretur. Inde certior ejus voluntas eliicitur, ut deficientibus Lineis Masculorum, Primigenialia Bona deferrentur Lineis Feminarum, in quibus idem Succedendi Ordo vigeret.

Hodiern. Contr. 32. *n.* 10. -- *Castill. Lib.* 5. *Controv.* 93. § 2. -- *Valenzuel. Conf.* 185. *n.* 10. -- *Mantic. de Conject. Lib.* 6. *Tit.* 12. *n.* 8. = Si Castra fuerint relicta vel Jurisdictiones, fa„ cile colligitur Intentio Testatoris quod voluerit ea in Fa„ milia conservari & Fideicommisso subiicere. *Ibi plures allegat*, *aliique plures congerunt* -- *Torr. de Major. Cap.* 9. §. 13. *n.* 190. *ub. post plures congestos* = Ex qualitate Rei Reli„ ctæ ut Palatio, Turri, Castro &c.

§. XXIII.

Ac profecto inter Fideicommissaria Bona accensetur *Dynastia Nackodina*, Nobile Allodium, quod Octavius e sua Familia in extraneas ignotasque Gentes nunquam commigrare voluerit. Ejus quidem generis Allodia tanquam Fidei-

deicommissa Familiæ reputari consueverunt, ad quorum Successionem si post Masculos *Feminæ* vocatæ fuerint, admissæ censentur veluti in *Subsidium* Agnationis, ita ut ipsæ, per quas Familia continuatur, ea Bona in suam posteritatem traducant, cum Progenies mascula desierit.

Ludolph. De Jur. Prim. Aph. 6. §. 32. -- *Burc. Gott. Struv. De Allod. Imper. Cap.* 4. §. 77. *ubi de paritate Successionis inter Feuda & Allodia.* -- *Jo. Hen. Alexand. De Jur. Allodior. Cap. 6. n.* 76. = Bona Illustrium Familiarum Jurisdictio- „ nem annexam habentia, quamvis fere sint Allodialia, ta- „ men æque ut Feuda Masculinitatis Masculos præ Femi- „ nis recipere.... Hinc in plurimis, si non omnibus, spe- „ cialibus pactis, & conventionibus effectum esse existimo, „ ne Filiæ ad Territorium Allodiale prius admittantur, quam „ nulli Masculi supersint.

§. XXIV.

Primigenialibus Bonis pariter Pr. Piccolomineus adjunxit *Ducatum Amalphitanum*, sibi ab Hispaniarum Rege concessum, quem ipse Ascanio Fratri suo ad vitam reliquit, ut postea cederet *Æneæ Sylvio*, aliisque suis heredibus.

Summ. Num. II. Testam. §. *a Monsignore* = Reverendiss. Asca- „ nio Piccolomineo Aragonensi Fratri Meo relinquo Duca- „ tum Amalphitanum, qui Mei juris est, ut eo ad vitam per- „ fruatur, obligatione adjecta de non vendendo neque alie- „ nando sive totum sive ex parte; atque eo extincto, ju- „ beo prædictum Ducatum esse & intelligi debere devolu- „ tum Heredi Meo Universali.

Ita plane cum Testator Primigenialibus Bonis Feudum adnumeraverit, quod *Primogenitis Masculis*, atque iis omnibus extinctis, quod *Feminis Proximioribus* traderetur, exploratam inde habemus Octavii Voluntatem, quod in Feminis, Primigenialis Ordo repetendus sit. Illud quidem exigunt Feudalis Qualitas, Vassallitica Servitia & Munera,

quibus explendis veluti impares censentur Feminæ. Inde cum nihil in *Beneficiario Jure* communius sit, quam quod Feudum Feminæ collatum, credatur Ejus Descendentibus esse concessum, ita nihil certius esse potest, quam quod Feudum in Primigeniali Dispositione delatum *Feminæ* ex qua Testatoris Familia promoveretur, concessum pariter ejus Descendentibus esse existimetur. Unde, quoties Masculos Piccolomineos omnes temporis edacitas absumpsisset, *Femina Proximior*, aut qui ex Ejus Linea superfint, recipere Feudum possent ex Superioris Domini Placito, ut Vassallagii Honor primogeniali ordine custodiretur in Familia Testatoris.

Mencken. de Præf. Feud. Mascul. Cap. 2. -- Jo. Got. Viegel. de Feud. Feminin. Cap. 3. -- Fr. Jo. de Klingen de Success. Feminar. in Feud. in Thesaur. Jenichian. Tom. 2. pag. 450. aliique communiter.

§. XXV.

Quinimmo si Testatoris Voluntatem inspiciamus, Ea Jura delata esse noscimus *Feminis Proximioribus*, ex quorum consideratione evidentius comprobetur Fideicommissarii Vinculi progressus in Earum Lineas.

Ac revera, *Octavius* in *Comitiis Ratisbonæ habitis d. 28. Feb. 1654.*, *Jure Suffragandi* donatus est, quod ad Ejus Successores porrigi non deberet, nisi legibus Imperii satisfecissent.

Limnæus in Jur. Pub. Imp. Rom. Germ. Tom. 5. in Add. ad Lib. 5. Cap. 14. pag. 416. refert Intercessionem Statuum & Decretum Cæsareum - Imhoff. Geneal. Vig. Fam. p. m. 174. „ Senatus quoque frequentandi, dicendæque pro Republica Sententiæ facultate auctus est in Comitiis &c. & solemni more introductus. Quoniam vero Leges curia prohibebant „ nullis Possessionibus Immediatis præditum, ita temperata fuit res, ut Senatus *Octavius* tantum particeps fieret:

Filii

„ Filii autem, aut quoscumque Dignitatis Heredes ille esset
„ habiturus, Suffragii Jure non prius ac Legibus satisfecis-
„ sent, gauderent.

Proinde Familiæ suæ Dignitati consulens, Testamento imperavit emenda esse Bona in Imperio, ex quibus *Suffragandi Jus* consistere posset: eaque Bona liquido statuit, constanterque voluit esse debere „ *Partes Hereditatis, ac Primogenituræ.* „

Summ. N. 11. *Testam.* §. *Il resto* „ Emantur Bona in Imperio, „ unde (Heres) possit Sessione & voto gaudere in Dietis: „ Quæ Bona sint & esse intelligantur *Partes Meæ Hereditatis & Primogenituræ.* „

Sic quidem & Prædia in Imperio & connexum Jus Suffragandi in Comitiis Imperii, inter Primogenialia Bona Testator adscivit. Cum autem extinctis *Masculorum Lineis*, Ea Jura detulisset *Feminis Proximioribus per Paternam Lineam*, quid unquam est cur negemus ea ipsa Jura delata fuisse *Lineis Feminarum*? Scilicet evidens est, Feminis ea concessisse, ut *Redintegrato Primogeniali Ordine*, Suffragandi Potestas Matris Ministerio in Filios Primogenitos traduceretur, ne ullo tempore amplissimus honor abiret a Familia Testatoris.

§. XXVI.

Repetitio Ordinis Primigenialis ex Verbis Testamenti, et ex Indole Primogeniorum.

Jura Descendentium ex Feminis certius confirmantur, si *Primigeniorum* Indolem inspiciamus. Octavii Voluntas ea proculdubio fuit, ut per Primogenituræ Jura prospiceret Familiæ suæ Splendori ac Dignitati. Scilicet probe noverat, Gentes nobilissimas ex inductis in earum Patrimonia Viribus Primogenituræ, diutissime florentes incolumesque viguisse, dum aliæ quod *Jure non Francorum*, sed *Longobar-*

bardico regerentur improvide, sordescant indecora conditione inter Populi contemptum, in squallore abjectæ ac desperatæ Fortunæ.

Inde cum in præcedenti Vocatione *consuluisset Masculis*, qui *unam Familiæ Partem* constituere poterant, facile intelligimus post eorum extinctionem, beneficium prorogare voluisse in *Alteram Familiæ suæ Partem*, quæ per Feminas protraheretur: Unde Ea Bona, quæ Masculi non possent amplius retinere, erat profecto cur ipsa impellente æquitate Naturæ, transcribi voluerit in Familiæ suæ Traduces per Lineas Feminarum.

L. fin. C. de Verb. & Rer. Sign. DD. in Novell. 118. -- *Rebuff. in L. Pronunciatio. §. Com. Jur.* -- *De Luc. de Præem. Disc.* 13. *n.* 7. & *de Dot. Disc.* 100. *n.* 2. -- *Molin. de Primog. Lib.* 3. *cap.* 4. -- *Torr. de Major. Tom. I. cap.* 38. *n.* 501. „ Sub „ nomine Familiæ in Fdeicommissis veniunt non solum Agnati sed etiam Cognati. -- *Rot. Rom. Rec. P.* 10. *Dec.* 1. *n.* 59. „ Eodem modo induci perpetuum Fideicommissum, si sit „ habita ratio conservandæ Familiæ ac conservandæ Agnationis, nec ulla ratio differentiæ poterit quantum ad hoc „ apta considerari. -- *Henr. de Cocceii Consilior. & Deduction. Tom. I. Cons.* 5. *n.* 41. „ Cum ex Filiabus Nati non „ magis ac Filiæ eam servent ac proferant. „

§. XXVII.

Illud plane efficiebatur Substitutione *Feminæ Proximioris* collata in Remotissimum Tempus, & post obitum Masculorum omnium. Etenim ea ratione *Lineam Cognatitiam* significari, egregie luculenterque pro more suo jam ostendit eximius Jurisconsultus *Clemens del Pace*; ut inde certum sit ex rerum Judicatarum Auctoritate, Testatorem ea Formula advocasse Lineas Feminarum, dum vocasset Feminas, a quibus Novarum Linearum principia ducerentur.

Stryck int. Cons. Hallensia de Jur. F. Resp. 32. -- *Henr. de Coccii de Jur. Succed. Fem. Sect.* 3. §. 3. „ Natos ex Feminis „ Ma-

„ Masculos, Feminarum non Masculorum Jure uti, quia „ non veniunt Jure proprio Masculorum, sed Jure defun- „ ctæ Feminæ in quod succedunt, adeoque non Masculorum, „ sed Feminarum ordine numerantur. Et §. 15. „ Quia „ Masculi quoque ex Feminis nati, Feminarum loco sunt, „ & in Jura Feminea succedunt. -- *Ludewig. Dissertat. de Success. Liberor. Divers. Matrim. cap.* 2. -- *Böhemer Consilior. & Decision. Jur. Priv. Argum.* 732. *Qu.* 8. *n.* 7. -- *Heinecc. Consilior. & Decision. Tom. I. Resp.* 8. *n.* 17. & 18.

§. XXVIII.

Neque prudens Testator poterat ex Jure petitis aptioribus verbis uti pro designandis *Lineis Cognatorum*; Namque, ut nemo ignorat, *Proximitatis* hoc proprio nomine, *Cognatio per Feminas* significatur, & in Cognatorum Ordine sola *Proximitas* spectari consuevit; ita ut qui *Suorum* Nomine designantur Descendentes ex Lineis Agnatitiis, *Proximiorum* vocabulo denotentur ii, qui ex Lineis Cognatitiis descenderint.

L. 46. *ff. ad Treb.* = Proximitatis nomine Bona petit -- *L.* 1. *ff. Und. Cogn.* = Sequens quasi Proximus admittatur. -- *L.* 8. *ff. De Suis & Leg.* = Prætor Proximitatis nomine Bonorum „ Possessionem pollicetur. -- *Cujac. In Inst. Lib.* 3. *Cap.* 5. „ §. 4. = Quia Proximitatis nomine Cognati vocantur „ „ & *in Scholio*, Proximitatis autem nomine Cognationem „ inde intelligimus, quia in Cognatorum ordine sola Pro- „ ximitas spectatur ..... Proximitatis hoc proprio nomine „ Cognatio Naturalis significatur, namque in Ea, sola Pro- „ ximitas spectitur, in Suorum & Agnatorum Ordine non „ quis sit *Proximior*, sed quis *Suus*. -- *Idem Observat. Lib.* 10. *cap.* 27. „ Proximus, quando pro Cognato accipitur, „ Positivi significationem habet, & ab eo fit Proximior. -- *Harprecht. ad Lib.* 3. *Tit.* 5. *n.* 6. = Proximitatis No- „ mine hic & alibi sæpe &c. Cognatio Naturalis per Sexum „ Femininum inducta designatur, quia in hac, sola Proxi- „ mitas spectatur.

§. XXIX.

§. XXIX.

Quamobrem, si constat Fideicommissorum Perpetuitatem firmiter esse comprobatam, quoties *Indefinite*, *Indeterminate*, cum *Designatione indubitata Remotissimi Temporis*, vocantur *Primogeniti*, *Majores*, *Proximiores*, *Descendentes*, dubitari pariter nequit in Vocatione non *Specifice* sed *Indefinite* concepta, & in Substitutione indeterminata *Feminæ aut Feminarum Proximiorum per Paternam Lineam* Descendentium, contineri Progressionem Vinculi in Lineas Feminarum. Neque Novum est ut ex unico etiam Verbo plures Substitutiones deducantur; ut inde certum sit, post *Masculorum Lineas quandocumque Extinctas*, si *Proximiores Feminæ* substituantur, ea universali Designatione comprehendi *Earum Lineas*; unde Primigenialis Ordinis robur, a Masculis ad Feminas progrediens, *in Lineis Cognatorum repetatur*, *& pro Familiæ conservatione renovetur*.

Ancharan. in Celeb. Conf. 27. -- *Menoch. de Præf. Lib.* 4. *Pr.* 92. *n. fin.* -- *Peregrin. de Fid. Art.* 12. *n.* 86. -- *Surd. Conf.* 346. *n.* 22. „ Quia cum indefinite pronunciatur nulla facta „ relatione ad certam Personam, denotat Perpetuitatem & „ Successionem Temporis & Personarum -- *Fusar. de Subst. P.* 2. *Qu.* 76. „ Quando vocasset &c. per Nomen Collectivum &c., quia hæc Nomina Collectiva important successivum &c. „ *& Qu.* 480. *n.* 36. ubi *Molin. Alb. Rustic. & innumer. alii.* -- *Mantic. de Conj. Lib.* 6. *Tit.* 15. *n.* 1. „ Non erat Substitutus Proximior de Familia, sed Proximior Generis -- *Rot. Rom. Rec. P.* 9. *T.* 2. *Dec.* 407. *n.* 6. „ Omnes tamen fatentur, quod ubi Major de Domo, „ de Familia &c. vocatur, Perpetua Primogenitura ordine „ Successivo instituta videatur.... quando Dispositio con„ cepta est per Nomen Collectivum & indefinite.... & in „ terminis quando numero singulari fit Vocatio Proximioris „ *Peregrin. multos referens Dec.* 111. *n.* 2. *& ultra ib. citat.* „ *Berrett. Conf.* 118. *n.* 15. *& al.* -- *Knipschild De Fid. Cap.* 6. *ub. Tyraquell. Peregrin. Petr. plures que allegat.*

§. XXX.

Illud profecto eſt quod facile pateat, ſi obſervemus, quod Subſtitutionis Formulæ pro *Subjecta Materia* famulantur Juri cui cohæreat Voluntas Teſtatoris: unde perſpicuum ſit, *Proximiorum Feminarum* Deſignatione contineri *Deſcendentes ex Feminis* in Teſtamento Pr. Piccolominei *Primogenituram Conſtituentis*, cujus Voluntas nonniſi Familiaris Gloriæ promovendæ tuendæque deſiderio inflammabatur.

Altograd. Jun. Controv. 42. *n.* 56. -- *Criſp. de Valdaur. Obſ.* 22. *n.* 90. -- *Amat. Reſ.* 10. *n.* 91. -- *Rot. Rom. poſt Torr. de Majorat. Tom.* 3. *Dec.* 30. „ Proximior..... ſecundum ſubje- „ ctam Materiam & Naturam Primogenituræ a Teſtatore „ ordinatæ, intelligi debet de Diſpoſitione Juris Primoge- „ nialis. *Ita DD. communiſſime* -- *Fr. G. Brandt de Natur. Bonor. Avitor. Cap.* 2. § 35. -- *Jo. Steph. Putter. de Jur. Feminar. adſpirand. ad Fid. Fam Cap.* 3. §. 28.

Ch. Wolf. I. N. Part. 7. *Cap.* 5. §. 1034. „ Et naturaliter officium „ humanitatis aliquod potius Cognato Collaterali, quam Ex- „ traneo præſtare velle præſumuntur -- *Joſ. Averan. Int. Jur. Lib.* 4. *Cap.* 10. *n.* 1. „ Veriſimilius eſt ſecundum na- „ turam Actus &c., quam contra egiſſe Teſtatorem &c. „ Atque hoc adeo verum eſt, ut etiamſi nihil dixerint, ta- „ men id pro cauto ſit habendum.

§. XXXI.

Illud eſt quod firmius adſtruatur ex Vocatione concepta *Nomine Collectivo* = *Per Lineam Paternam* =, quod indefinite propoſitum, cum deſignet *Seriem Perſonarum* in omnia tempora latiſſime diffundendam, evidenter confirmat Vinculi Perpetuitatem. Enimvero ex Natura Primigeniorum, ea Formula continentur Non *Primæ* tantum, ſed *Ulteriores* omnes per *Paternam Lineam* venientes, quarum Lineæ, altera poſt alteram *ſucceſſive Proximiores* eſſe poſſent, quæque

Familiam Teſtatoris in longius ducerent, in qua poſt Maſculos Quandocumque extinctos, Primigenialis Ordo repetitus conſervari poſſet.

DD. ad L. Lucius ff. de Hered. Inſt. & *ad L. Titia Sejo.* § *Seja Libertis ff. de Leg. II.* -- *Ruſtic. ad L. Cum avus lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 36. -- *Surd. Dec.* 346. *n.* 13. -- *Præt. de Int. Ult. Volunt.* 238. *n.* 39. -- *Fuſar. P.* 2. *Qu.* 476. *innumeris congeſtis n.* 56. „ Quando Teſtator &c. vocaſſet &c. Deſcendentes „ vel aliter per Nomen Collectivum, quia hæc Nomina Col„ lectiva important Tractum Succeſſivum -- *Peregr. de Fid. Art.* 16. *n.* 26. „ Secus ſi ad Incertos in aliquem futurum „ eventum, nam ordine Succeſſivo videntur invitati -- *Rot. cor. Ottobon. Dec.* 183. *n.* 18. 19. & 20. „ Feminas quidem „ vocavit, ſed per Subſtitutionem conceptam in remotiſſi„ mum tempus, ideſt nonniſi poſt emenſam, exhauſtam, „ & expletam præcedentem Infinitatem, Perpetuitatem, „ Sempiternitatem Maſculorum &c. -- *Ead. Rot. Rec. P.* 9. *T.* 2. *n.* 14. „ Et per ſolam Vocationem Majoris in Li„ nea -- & *P.* 10. *Dec.* 1. *n.* 43. 44. 45. „ Multum intereſt „ an quis relinquat Proximiori de Domo, vel de Cippo . . . „ an vero *Proximiori de Linea* . . . . nam Linea per ſe ſignificat Tractum Succeſſivum. *DD. Turb. in re apertiſſa.*

§. XXXII.

Ex quo ſequitur, quod *Generica Indefinita* & per converſionem Temporum Remotiſſimorum *protrahenda circumducenda* atque *explicanda* Vocatio *Feminæ aut Feminarum Proximiorum per Paternam Lineam* ſucceſſive Deſcendentium, eſſem omnino effectus pariat, ac ſi poſt Maſculos *Primogenitos* Teſtator ſubſtituiſſet *Feminas Majores ac Primogenitas*; namque Eas, quas minus apte *Primogenitas* appellare potuerat, proprio nomine, ſcilicet Nomine a Legibus, illis adſcripto, *Proximiores* appellavit. Quo ipſo intelligimus Perpetuitatem Vinculi Fideicommiſſarii, æquabili ratione tum *Maſculorum* tum *Feminarum* Lineas complecti, ut idem Succeſ-

cessionis Ordo, *Agnatitiæ* & *Cognatitiæ* Familiæ decus custodiret, quæ Fortuna Primigenia regerentur.

§. XXXIII.

Et vero, iisdem Verbis *Indeterminatis*, iisdem Verbis tum *Impersonalibus*, tum *Imperativis*, *eademque Formula*, & Conceptione Verborum, Testator utitur pro determinanda Successione *Masculorum*, *&* *Feminarum*, ut inde pari ratione Diuturnitas Vinculi, ad utrasque Personarum Series referatur, ac Primigenialia Bona *Hereditatis* nomine designata, Feminis & Earum Descendentibus reserventur.

Summ. N. II. Testam. — L' Eredità passi — La mia Eredità „ vada — Voglio che l' Eredità passi alla Femmina „ *Scilicet* — Hereditas transeat — Mea Hereditas progrediatur — Volo Hereditatem progredi in Feminam -- *Bartol. in L. Peto §. Frater n.* 3. *ff. de leg. II.* -- *Bald. in L. Precibus n.* 65. *C. de Imp. & al. Subst.* -- *Mantic. de Conject. Lib.* 8. *Tit.* 2. *n.* 6. -- *Peregrin. de Fid. Art.* 12. -- *Rot. Rom. Rec. P.* 4. *Dec.* 656. *n.* 5. „ Onus hoc Casu est impersonaliter injunctum & in rem scriptum .... quo casu cum „ Testator neminem nominatim gravaverit, Onus censetur „ Reale & Hereditas ipsa gravata intelligitur. *Et n.* 2. „ Præsertim stante illo Verbo -- *Voluit*, quod est aptum „ importare Fideicommissum. *Ita DD. Turba* -- *Carpzov. P.* 3. *Const.* 4. *Def.* 38. -- *A. Goetsche int. Consilia Hallens. Tom. I. P.* 1. *Cons.* 341. *n.* 4.

§. XXXIV.

Sic tum ad Lineas *Masculorum*; tum ad Lineas *Feminarum* æque pertinet, quod *Octavius* Post Eorum omnium Vocationem, expressa constantique Voluntate declaraverit edixeritque *Bona sua omnia Fideicommissi & Primogenituræ Vinculis obstricta esse*.

Summ. N. II. Test. §. *Ma Perchè* „ Essendo tutti i miei Beni „ Primogenitura, e Fidecommisso -- Cum omnia mea Bona „ Primogenituræ & Fideicommisso devincta sint

Ex quo uti manifeste perspicueque firmatur Vinculi Perpetuitas, quæ Masculorum & Feminarum Lineas æquabiliter comprehendat, ita conficitur pari eademque ratione Testatorem imperasse, ut Primigenialis Ordo qui in *Lineis Masculorum* obtineret, Idem in *Lineis Feminarum* foret observandus.

§. XXXV.

Ad Fideicommissi Perpetuitatem comprobandam, æqualiterque protrahendam ad *Lineas Cognatitias*, facit Onus & *Prohibitio Alienandi*, tum quæ in Primogenituræ constitutione continetur, tum quæ Post *Vocationem Masculorum*, & *Feminarum*, indicitur a Testatore. Etenim is diferre Alienationem prohibuit, dum vetuisset *obligari posse* Fideicommissaria Bona *pro Dotibus restituendis*, nisi ex Quantitate certo præfinita

Summ. N. II. Testament. §. *Ma perchè* „ Cum aliquis ex Heredibus Meis Uxorem ducere voluerit, ea suborietur difficultas, quod forsan non habeat unde Mulieris Dotem „ cautam faciat, declaro & volo Cautionem excedere non „ debere Quantitatem Florenorum 20000.

Ita, tum ad Masculos tum ad Feminas Testamentarium Præceptum extenditur, & sic Diuturnitas Perennitasque Vinculi Eorum Lineas æqualiter complectitur. Inde in Fideicommissi Progressione statuta, evidens continetur Voluntas repetendi in Feminarum Lineis, Primigenialis Successionis Conservationem.

§. XXXVI.

Quæ proculdubio Fideicommissariæ Obligationis Perpetuitas quoad Lineas Cognatorum plane constat ex Formula „ *E* „ *fini-*

„ *finiti tutti i Maschi* „ *Atque Extinctis Masculis omnibus* „ Quandoquidem quum Ea Casus omnes Mortis, atque Indefiniti & Remotissimi Temporis contemplationem aperte designet, quis unquam ignoret ea Vocatione *Feminarum Proximiorum per Paternam Lineam* descendentium, contineri *Compendiosam*, quæ *Fideicommissariam* evidentissime complectatur? Hinc ex Fideicommissi Perpetuitate confirmata, quis respuat exinde proficiscentem Primigenialis Ordinis Repetitionem in Lineis Feminarum?

L. Precibus C. de Imp. & Al. Subst. -- *Bartol. ad L. Centurio ff. de Vulg.* -- *Peregrin. de Fideicomm. Art.* 34. *n.* 65. -- *Bellon. Jun. Cons.* 50. *n.* 15. -- *Rot. Rom. P.* 4. *Dec.* 656. *num.* 5. „ Clare probari videtur ex illis Verbis *Non ci essendo* „ per „ quæ Fideicommissum Perpetuum Ordine successivo indu- „ ci docuit Molin. ubi Addent. qui multos cumulant. „ *Ita DD. innumer. in Re quæ ex Elementis Juris communissima est.*

§. XXXVII.

Verum nihil magis statuit probatque Fideicommissarii nexus Progressionem in omnes Lineas Cognatorum, quam *Naturalis Pietatis* consideratio. *Quid interrogatus respondisset Pr. Piccolomineus?* An siverit unquam sua Bona disperdi & caduca fieri, postquam *Una tantum suæ Familiæ Portio* defuerit? An suas voluerit opes veteresque possessiones depasci ab incertis ignotis odiosisque Heredibus, & Feudum & Dynastiam a Familia extorqueri, Titulos Honoris Dignitates amplissimas evanescere, Familiare Decus omne proscindi ac profligari, dum *ii superextarent, in quos Paternus Sanguis confluxit, quique Ejus Familiam conservassent?* An is humanitatem omnem exuisse dicendus est, qui tamen evidentissime suam proposuit Voluntatem, ut Bona a *Masculis* ad *Feminas* transferrentur?

Ea quidem quantopere abhorreant a Voto Testatoris, quisque sentit qui Naturam consulat, quæ Communionem Sangui-

guinis, & Cognatorum Jura reclamat: Ut inde certa quammaxime dicenda sit *Fideicommissarii Vinculi in Feminarum Lineas Progressio*, ex qua Primigenialis Ordinis Repetitio & Conservatio firmissime demonstretur.

L. Si quis ff. de Lib. Agn. „ Charitate Sanguinis cujusque desideria perpendi „ *L. Cum Avus. L. Cum Acutissimi & ib. DD. omnes Rot. Rom. Rec. P.* 15. *Dec.* 1. *n.* 16. „ Nec videatur „ Testatorem voluisse Extraneum suis Conjunctis præferri. -- *Ita Peregrin. Mantic. Molin. & concors DD. turba ap. Fusar. P.* 2. *Qu.* 349., *aliique innumer.* -- *Knipschild. de Fid. cap.* 8. *n.* 272. „ Qui si interrogatus fuisset, quem præferre vellet eo Casu, quando omnes de Agnatione Filiorum suorum mortui essent, utique non extraneos ullos, sed proprias Filias vel Proneptes &c. *Responsurus fuisset &c.* cum „ major sit affectio erga Cognatos, & Consanguineos, quam „ Extraneos L. Omnia §. in Fideicommisso ff. de Leg. II. & *n.* 275. „ Illudque in dubio pro disposito & expresso „ habetur, de quo si Disponentes interrogati, verisimiliter „ responsuri fuissent; Neque enim verisimile est, quod quis „ Successionem alienam suæ propriæ anteponere voluerit &c. „ Sed quisque suis Heredibus prospicere præsumitur. *Christ. Thomas. Jurisp. Divin. Lib.* 2. *cap* 12. §. 68. -- *Ludewig. int. Consil. Hallens. Lib. I. de Jur. Civ. Cons.* 259. *n.* 9. & 10. & *Consil.* 309. *n.* 8. -- *Böhemer. Consil. & Decision. Tom.* 2. *P.* 1. *Arg.* 697. *p.* 1077. *n.* 55. -- *Heinecc. Consil. & Decis. Tom. I. Resp.* 10. *n.* 17. -- *Ch. Wolf. I. N. Part.* 7. *cap.* 5. *n.* 1009. & 1010. „ Quoniam naturaliter id præsumendum quod fieri „ ab aliquo debebat. Naturaliter autem speciali quadam ratione Cognatis Collateralibus obligamur ad præstanda officia Humanitatis, non aliter quam quatenus in ipsis beneficium redditur Communi Parenti Primi vel Ulterioris gradus. Naturaliter autem unusquisque præsumitur Officium „ aliquod humanitatis potius Cognato Collaterali præstare „ velle quam Extraneo, consequenter Eum magis amare „ quam Extraneum.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Sic plane ex Verbis Teſtamenti atque ex Indole Primigeniorum argumenta quoquoverſus exundant, quibus liqueat Teſtatorem Vocatione *Indefinita* atque *Univerſali Feminarum Proximiorum*, comprehendiſſe Earundem Lineas, non magis quam *Vocatione Primogenitorum*, Lineas omnes comprehenderat a Maſculis Deſcendentes. Inde pro ſuorum Bonorum Individuitate & conſociatione tuenda, ex qua perpetuum Familiæ decus exiſtere poſſet, providum Pr. Octavii, & multum in poſterum proſpiciens conſilium effecit, ut Primigenialis Succeſſio, quæ in *Lineis Maſculorum* ſervari amplius non poſſet, commigraret in *Lineas Feminarum*.

§. XXXIX.

Prærogativa Lineæ ..

Jam vero, dum in *Actualibus* Lineis Maſculorum permanebat Primigenialis Honor, ex *Lineali Reciproca* conſtanter progreſſurus quouſque Maſculi ſupereſſent, Feminæ ex Paterno Sanguine, ſcilicet aut a *Comite Franciſco* aut ab *Ipſius Filiis* Deſcendentes, *Lineas quæque ſuas conſtituebant*, in quas Primigeniales Succeſſiones traducerentur. Iis quidem Lineis *Jus Eventuale*, *Radicatum*, *Certiſſimum* recondebatur, quod in Spem adoleſceret conſequendi Primigenialia Bona, quæ Pr. Piccolominei Voluntas pro ſuæ Familiæ conſervatione, illis deſtinaverat, obtuleratque pro oblata temporis opportunitate.

Bald. in L. Liberti n. 18. ff. de Op. Serv. -- Fuſar. De Subſt. Qu. 387. n 3. - Cancer. Var. P. 3. Cap. 21. n. 297. -- Giurb. De Succ. Feud. §. 2. Gloſ. 6. n. 49.

§. XL.

§. XL.

Sic, tum *Octavia Benigna*, tum *Laudomilla Proprias Lineas Habituales* efformarunt, quæ separatas omnino diversasque Personarum Series continerent, nempe *Guadagniorum*, & *Desfoursiorum* illustres Familias. Ac sicuti Jura Unius nequeunt cum alterius Gentis Juribus improvide atque oscitanter commisceri, ita evidens omnino est, inter Utriusque Feminæ Descendentes nullam excitari posse Quæstionem de Gradu, sed omnia ad propriam Causam, & ad cujusque Familiæ originem ex Piccolomineis Masculis, necessario referri debere.

Castrens. Cons. 164. *n.* 5. *Lib.* 2. -- *Royas de Incompatibilitat. P. I. Cap.* 6. *n.* 167. -- *Fontanell. Dec.* 34. *n.* 12. -- *Hulderic. ab Eyben. Elector. Jur. F. Cap.* 7. *n.* 14. „ Si ex pluribus Lineis Successuri, seu ad succedendum concurrentes non habent unum, sed diversos stipites seu auctores, eosdemque Primos adquirentes, hodie nunc pro Linearum, non pro Personarum, & Graduum numero, & ratione, adeoque in Stirpes succedi -- *Rot. Rec. P.* 18. *T.* 1. *Dec.* 19. *n.* 10. „ De Gradu non fit quæstio inter Lineam & Lineam, sed inter plures Personas ejusdem Lineæ „ *Rot. ead. ap. Torr. Tom.* 3. *Dec.* 30. „ Cum quælibet Soror seu Frater propriam distinctam Lineam constituat, ita ut alter de alterius Linea dici non possit.

§. XLI.

Quapropter cum de Juribus sejunctarum Familiarum sit judicandum, vulgatissimi Juris est, quod in unaquaque Linea comprehensi, eo Jure potiantur pro oblata conditione temporis, quod Auctor Lineæ retinuerat.

Rot. Rom. cor. Merlin. Dec. 569. *n.* 9. & 23. -- *Ch. Wolf. J. N. Part.* 7. *Cap.* 5. §. 980. „ Cum illi non immediate Jus

„ Suc-

„ Succedendi acquisiverint a Defuncto, sed mediate per „ Patrem aut Matrem, illis competere nequit, nisi Jus quod „ Pater aut Mater haberet si in vivis esset -- *Hen. Cocceii Deduction. & Consilior. Conf.* 5. *n.* 43. & 48. *Et Disp. De Jur. Succ. Femin. Sect.* 3. §. 22. „ Non potest igitur Juris „ proprii Prærogativa obtinere, nisi cum Jure Parentum „ æquales sint.... Nec potest Jure proprio potior videri, „ qui nullum habet -- *Sam. Cocc. in Grot. Lib.* 2. *Cap.* 7. §. 12. *in Prop.* 12. „ Masculus ex Femina natus non plus „ Juris habet quam Femina unde descendit.... Inde Filia „ succedit ex Jure Matris Primogenitæ, quæ prælata fuit „ Sorori Minori Ejusque Descendentibus -- *Sam. Stryck. int. Conf. Hallens. Lib.* 3. *Jur. F. Resp.* 73. *n.* 7. -- *Bohemer Consilior. & Decision. T. I, Part.* 2. *Argum.* 86. *n.* 46.

§. XLII.

Proinde, uti *Major Primogenitus Proximior* præferri debent *Posterioribus* & *Remotioribus*, sic *Linea* quæ a Majore & *Proximiore* progressa sit, ceteris *Inferioribus præponi* debeat. Hinc a consideratione Originis Anterioris, *Prærogativa* Lineæ conflatur; namque Eam *Proximioritatis* Qualitatem quam in Lineæ *Ingressu*, Testator præfinivit, constanter voluit etiam in Ejus *Progressu* servandam esse. Unde, uti plurimum Tempora in re quaque valent, Ea Linea *Melior Dilectiorque* appelletur, quæ a Majore, & Proximiore descendens, anticipatione originis Ceteras præveniat, & locum anteoccupet utiliorem.

Decian. Resp. Vol. 3. *Conf.* 21. *n.* 3. *Fr. a Costa Conf.* 67. *n.* 25. -- *Altograd. Conf.* 67. *n.* 43. -- *Pir. Torr. int. Div. Ult. Volunt. Tom.* 2. *Conf.* 32. *n.* 8. -- *Car. Ant. De Luc. de Lin. Leg. Art.* 2. *n.* 12. „ Quia in Successione Feminarum est servandus „ Ordo, qui fuit servatus in Successione Masculorum „ & *num.* 13. „ Nam eadem ratio majoris affectionis erga pri- „ mos Vocatos Masculos militabat erga Feminas ex Ma- „ sculis Descendentes „ & *num.* 20. „ Præsumitur quod jux- „ ta Ordinem quo prædilexit ac prætulit Masculos, per

„ eum-

„ eumdem prætuliſſe Feminas -- *Rot. Rom. ap. Torr. Tom. 3. Dec. 3. ubi plures allegantur n. 1..* „ Et ſic ſemper ha-„ bito reſpectu ad Prærogativam Lineæ tanto magis atten-„ dendam in hac *Subſtitione Proximioris*, Virtute Relationis „ ad uniformiter diſpoſita in Anterioribus Subſtitutionibus „ juxta modum & Ordinem in illis præſcriptum. *Ita DD. communiter -- Hen. Cocc. in Grot. Lib. cap. 7. §. 12.* „ Atque „ ex his apparet Linealem Succeſſionem eſſe Juris Naturalis „ -- *Jo. Cramer de Succeſſione Lineali agens in Ejus Wetyl. Nebenſt. P. C. p. 1.*

§. XLIII.

Hinc firma ratione ex Facti certioris perſpicuitate liquet, conſtitutam fuiſſe ab *Octavia Franciſci Filia* Lineam Primogenituræ Habitualem, *quæ hodie præferri debeat*, quæque Melior Dilectiorque conſideretur, dum *Proximitate* & *Anterioritate* vicerit Alteram Lineam deſcendentem a *Laudomilla, Femina Poſteriore, uti Nepte ipſius Comitis Franciſci.*

Idcirco, prout monſtro ſimile eſſet, a Primogeniti *Linea* Succeſſionem auferre, atque a *Prælationis Jure Quæſito, Radicato, & Firmiſſimo*, exturbare immeritos Deſcendentes, qui Eamdem protrahunt, ita niſi Leges Mores Inſtituta Majorum Auctoritates ſummas improvide violenterque deſpiciamus omnes, ab *Octaviæ Proximioris Feminæ* Linea Succeſſio nequit extorqueri, atque inhumaniter avelli a *Nicolao Marchione Guadagnio*, in quem uti Nepotem ſuum ex Filio, *Octavia* Prærogativam Melioris Lineæ evidentiſſime tranſmiſit.

Oldrad. in celeb. Conſ. 224. -- Molin. de Prim. Lib. 3. cap. 6. n. 45. -- Tyraquell. de Prim. qu. 40. -- Fuſar. de Subſt. Qu. 387. -- Cancer. Var. Lib. 3. cap. 21. n. 297. Grammatic. Dec. I. n. 30. & poſt innumer. Knipſch. de Fid. Fam. cap. 9. n. 62. ubi Betſium, Rumelinum, Speidelium, Beſoldum & longe plures adducit. -- Engelbret. contra Goldaſtum diſputans in Diſſ. de Succeſſ. -- C. A. De Luc. de Lin. Leg. Artic. 8. n. 52. = Quia „ cum ſit Jus Honorificum & utile a Primogenito ſua Na-

„ tivi-

„ tivitate occupatum absque ulla actuali adeptione &c. trans-
„ missibile fuit ad omnes Ejus Posteros quos nascendo in-
„ clusit, & ad Eos transit uti Radicatum in Ejus Persona
„ & vere Formatum, & ab ipsa Filiatione distinctum &c....
„ Successio igitur Majoratus decurrit per Lineas, & de Li-
„ nea ad Lineam integram, etiamsi Caput Lineæ nempe
„ Primogenitus, vel aliæ Superiores Lineæ a quibus exor-
„ ditur, defecerint.

§. XLIV.

Jamvero cum fuerit Jus tributum *Feminis Proximioribus*, ut Masculis extinctis Primigeniale Patrimonium, ac præsertim *Nackodtii Dynastiam* adipiscerentur, facile intelligimus Eumdem ex *Prærogativa Lineæ Dilectioris*, ea omnia Jura obtinuisse quæ *Octavia* reunuerat, & in propriam Lineam Habitualem transmiserat; scilicet non tantum ut Bona consequeretur, sed etiam ut isthæc sibi vindicaret ante Alias Quascumque ex ejus *Prælationis Vi & Potestate*, qua uti Proximior, ceteras vicerat Feminas Posteriores.

Rot. Rom. post Torr. Tom. 3. *Dec.* 23. *n.* 17. „ Semper erit
„ verum dicere, quod in ipso Ænea Pauli Linea quæ dici-
„ tur Habitualis, fuerit constituta, ejusque Prærogativa trans-
„ missa in Filium „ *& Dec.* 31. *cor. Bourlemont. n.* 5 „ Quia
„ licet Catharina non efformaverit Lineam Actualem, & Ef-
„ fectivam ex quo in Primogenitura non successit, consti-
„ tuit tamen Lineam Habitualem Primogeniti, statim ac in-
„ ter Filios Victoriæ omnium Prima nata fuit, exinde Jus
„ Primogenituræ illico acquirens tam pro se ipsa quam pro
„ tota Ejus Linea & Descendentia, cum quadam certa Spe,
„ & incommutabili Jure succedendi suo Loco & Tempore,
„ interim tantum suspensa in Vita Possessoris, postea transi-
„ turo etiam ipsa præmoriente ad Ejus Primogenitum cum
„ *Prærogativa*, ut donec aliquis ex Ejus Linea Habituali
„ supersit, fieri non possit transitus ad Lineam Secundi seu
„ ulteriorum Genitorum -- *Marcian. a Pont. Paz &c.* -- *J. W. Textor Disput. de Success. Lineali insert. a Schiltero in Part.* 2. *Coll. Jur. Alemann. pag.* 42. -- *Böhemer. Consult. & Decis.*

Tom. I. Part. 2. *Conf.* 35. *n.* 45. & 46. -- *Carol. Voit. a Saltzburg de Emolum. ex Jur. Primogenit.* §. 46. „ In hac Succef„ fione non majoris ætatis, fed Lineæ Prærogativa fpectatur.„

XLV.

Ac prout fi Ipfa Nunc fupereffet, cum jam Mafculi occubuerint omnes, Primigenialia Bona agnofcere poffet, ita ex Ejus nomine eadem Bona *Guadagnio* reftitui, & tamquam omnino debita, Eidem adijudicari prorfus oporteat. Etenim cum jampridem Mafculorum impedimenta femota fint, proculdubio *Spes illa*, *Jus Prælativum*, *Radicatum*, *Eventuale*, Feminæ Proximiori delatum, Teftamentaria Promiffione fixum & immutabile ac veluti ex Pacto conftitutum (*Sup. a* §. 2. *ad* §. 15.) vires fuas nunc primum exerat, ut quod diu fufpenfum ac fopitum delituerat, Mafculorum Lineis jam inde exarefcentibus, revirefcat.

Buxtorff. in Difp. ad Aur. Bull. Th. 85. *lit. H.* -- *Bern. Bertram. Differt. de Comit. Imp. Rom. Germ. Thef.* 40. -- *Kirchov. in Tom. I. Confilior. Varior. Jurifconfultor. Conf.* 2. *qu.* 1. -- *Knipfchild. De Fideic. Fam. cap.* 9. *n.* 71. = Quemad„ modum enim Primogenitus præ Secundogenito eo ftatim „ momento quo nafcitur Jus Succedendi Quæfitum habet, „ & Radicatum, quod ipfius Stirpi ac Lineæ, quamdiu in „ Ea habilis quifpiam fupereft, adimi vel ad alios transfer„ ri nequit, ita etiam Secundogenitus &c. -- *Jacq. Cholet. Traité d'entre l'Oncle & le Neveu pag.* 17. -- *Jo. Sam. Hering. Gründliche Erörterung der Rechts-Frage cap.* 2.

§. XLVI.

Quod fi tanti nunc effet, Rerum Judicatarum Auctoritate, Supremorumque Tribunalium *Præjudiciis*, pluribufque conftare exemplis poffet, ac præfertim deductis a *Refervationibus Feminarum*, ex quibus Earum Jura fub Spe cuftodiuntur, ut quoties Progenies Mafcula defit, & ipfæ e

vita

vita migraverint, Earum Descendentibus restituantur Bona Fideicommissaria.

Inglostadiens. ap. Gyphan. pag. 84. — *Mysinger. Resp. Dec.* 10. *n.* 18. — *Coccejus in Deduct. Vol. I. pag.* 708. *n.* 205. — *Ludolph. de Jur. Femin. Part.* 2. *cap. I.* §. 24. *n.* 9. „ Sed „ judicatum fuit pro Margarita Filia & Herede, transmissam Spem etiam Hereditatis sub Conditione pendentis ad „ Heredem — *Ulr. Cramer. De Pact. Fil. Nob. Tractat.* 2. § 23. „ Sed ante Conditionis existentiam decessit, Heredes illius existente Conditione, eamdem portionem petere „ possunt.... Et sane in specie hic tantum obtinet, quod „ alias in genere expeditum est, Spem Obligationis quam „ Conditio fundat, utrinque ad Heredes transire.

§. XLVII.

Inde semotis & longa oblivione posthabitis omnibus Masculorum Anteriorum Lineis, ac si nunquam extitissent, ita conjungenda sunt Momenta Temporum, ut *Marchioni Guadagnio sit adjudicandum Jus illud Succedendi, quod Feminæ Proximiori delatum fuerat*; namque inter Nobilissimos Familiæ Piccolomineæ Cognatos, Is debet ex Ordine *Primus* reputari, dum contineatur in *Habituali Linea Dilectiore* quæ ab Octavia proficiscitur, ex cujus nomine Illi Restitui debet, non magis quam si *Octavia ipsa viveret*, sibique *hodie* deposceret ac vindicaret *Ex Testamento Pr. Piccolominei*, Primigeniale Patrimonium.

Gronov. ad Grot. Lib. 2. *cap.* 7. §. 22. „ Si ille qui mortuus „ est, siquidem superstes foret, deberet succedere ante il- „ los qui vivunt — *Hen. Coccеii de Success. Femin. Sect.* 2. §. 12. „ Quæ cum existit, retro extitisse jam tempore Di- „ spositionis intelligitur, & conjunguntur Momenta Tem- „ porum, ac si Intermedii nulli fuissent — *Sam. Cocc. in Grot. Lib.* 2. *cap.* 7. § 12. *Propos.* 12. „ Feminæ etiam „ Præmortuæ omne Jus suum similiter transmittunt ad suos „ Descendentes habiles cum suo Eventu Ejusque Lege & „ Prærogativa.... Femina Primogenita suam Spem extin-

„ ctis

„ ctis Masculis ad suos Descendentes transfert — *Georg. Daries de Acq. Hered. cap. 2.* — *Rut. Kellinghausen de Acq. Hered. n. 35.* — *Dan. Nettelblat Syſtem. Jurisp. Univ. Part. 2. Lib. I. Jur. Theor. Allod.* §. 162. „ Quoniam Jus Futu- „ rum, si moriatur Spem habens, in alterum transire po- „ test, &, si Spes impletur, perinde est an is cui defer- „ tur Jus Hereditarium, ipso eodem Jure utatur, an Alius.

§. XLVIII.

Itaque cum Pragenses Judices *Feminam Clarissimam* Superstitem ex Celanensium Comitum Familia exclusissent, *ut Dynastiam Nackodtii* adijudicarent *Comiti Desfourſio* tamquam si is descenderet a Femina Proximiore, præclare dicentur Judicia tulisse, si qui Eumdem excluserint, *qui revera a Femina Proximiore non descendit*.

Ac profecto Verius semper videatur nullum Judicibus arbitrium relinqui, ac nullum Nobilissimo Viro adesse perfugium.

Etenim, si etiam in re apertissima dubitandum esset, an a *Gravante*, an a *Gravato* foret æstimanda Proximitas, nullum illi neque remotissimum Jus aliquod deberetur, dum aut Eum repelleret *Soror* Ultimi Possessoris, aut Guadagnius *Nepos* Octaviæ, quæ Proximitate Sanguinis anteiverat Laudomillæ.

Si autem, ea penitus dimissa quæstione ut inopportuna & prorsus extranea, agatur de *Proximitatis Jure*, & de Proximiorum Cognatorum *Prælatione*, prout agi debet ex Testamento *Pr. Piccolominei*, illi pariter anteferendus est Marchio Guadagnius, qui ut *Proximioris*, ita *Dilectioris Lineæ Prærogativa* Jure optimo Primigenialia Bona, & *Dynastiam Nackodtii* sibi adijudicandam esse demonstrat.

Propterea revulsis Juribus *Sororis* Postremi Possessoris, Juribusque *Filii Laudomillæ*, Dynastia Allodialis restitui debet *Guadagnio* ex evidenti & contestata Voluntate Testatoris, cujus conservationem atque custodiam, Integritati Pru-

Prudentiæque Supremorum Magistratuum Fides Publica committit: Unde dubitari prorsus nequeat, quin Jure optimo ac liquidissimo debita, prætentur Memoriæ Viri Celeberrimi Extrema isthæc Germanicæ Pietatis Officia.

ARTIC. IV.

Jus in Dynastiam Nackodtii adijudicandum est Ill. et Exc. D. Marchioni Nicolao Guadagni ex Voluntate Imperatoris Leopoldi.

§. I.

VErum *Octaviæ Benignæ* atque ex Ejus Linea prodeuntis *Nicolai Marchionis Guadagnii* Jura, quæ ex *Testamento Pr Piccolominei* firmissime constituta esse notavimus, fortius corroborantur dum Imperialis Auctoritatis Vigor accesserit, *Ut inter Primigenialia Bona computari etiam debeant Ea Jura, quæ nonnisi ex Cæsareis Confirmationibus conservari poterant.*

Scilicet *Nackodinas Opes Prædiaque* a Ferdinandi II. liberalitate concessa, tamquam sibi *Propria* ac *Patrimonialia* in suos Heredes liberrime potuit *Octavius* transferre; Non item *Facultas illi fuit Disponendi de Amplissimis Dignitatibus*, ac potissimum de *Jure illo Superiore quod in Nackodtii Dynastiam obtinuerat*, quodque Primogenituræ conjunxit ex Privilegio & ex Potestate ipsi delata a Cæsaris Benevolentia.

§. II.

Hinc, cum post obitum *Æneæ Sylvii* Heredis Instituti, *Laurentius Ejus Frater* Primigeniale Patrimonium fuisset adeptus, Cæsareum Consensum ad suæ Familiæ decus conser-

van-

vandum impetrare non destitit, ut quoties *defuerint Masculi* qui ex sua Linea propagarentur, *Splendidissima Principatus Dignitas*, *& Superius Jus in Dynastiam Nackodtii* transferri possent in *Octaviam Benignam* Sororem suam, atque in *Marchiones Guadagnios* ab ipsa Descendentes.

Inde *Augustiss. Imperator Leopoldus* Diplomate *dat.* 16 *Maii MDCLXXXIX.* jussit ut *deficiente Progenie Mascula Principis Laurentii*, in *Octaviam & Guadagnios* „ Cadant omnia & „ singula Jura Principatus cum omnibus, & singulis Annexis Statibus Honoribus Praeeminentiis Rationibusque „ ac proinde *Jus etiam illud Superius in Dynastiam Nackodinam*.

Summar. N. V. Diploma Imp. Leopoldi „ *Confirmamus* .... „ *Facultatem nominandi & adoptandi* .... *Concedimus & addimus eidem Principi Laurentio Facultatem nominandi & adoptandi ante Alios, sicut coram nobis nominavit, & adoptavit, Casu quo ipse sine Filiis Masculis moriatur, aut aliter postea Masculina Stirps ejusdem Principis Laurentii extinguatur*, „ Sororem suam Marchionissam Guadagni, ac Filios, & „ Descendentes Masculos Majores natu ex Ea in infinitum . . , *Praecipimus, ut ante Alios* praedictae Marchionissae *&* Descendentibus Ejus in Infinitum, *si Princeps Laurentius sine Filiis Masculis moriatur, aut si post Mortem Ejus, sua Linea Masculina deficeret*, cadant omnia & singula „ Jura Principatus cum omnibus & singulis Annexis Statibus Honoribus Praeeminentiis Rationibusque .... *Manente tamen firmissimo* Octaviae Benignae Marchionissae praedictae, „ & Descendentibus Ejus *Jure Succedendi in Principatu ante quoslibet alios, Casu quo Princeps Laurentius, ut supra dictum est, absque Filiis Masculis ex Legitimo Thoro natis moriatur, aut quoque si post, aliter Stirps Ejus Masculina extingueretur*.

§. III.

Ex Laurentii Masculis Descendentibus jam Nullus superest, dum *Octavius Junior S. R. I. Princeps occubuerit An.* 1757. Propterea liquet, Successionem *Guadagnis* Octaviae Benignae

gnæ *Nepoti* deferendam esse *ex Cæsaris Voluntate*, quam exploratissimam habemus.

Sed quum Imperiali Placito illud contineatur, quod *post Masculos Sticcianenses*, Successionis Jura traducantur, Ante Alios quoscumque, in *Octaviam Ejusque Descendentes*:

Inde Quæstio est

An Leopoldini Diplomatis Auctoritas ex Jure possit consistere, dum Imperator transtulerit in Guadagnios Eam Successionem, quam Pr. Piccolomineus addixerat Testamentaria Lege Masculis Comitibus Celani.

§. IV.

Ac profecto certissimum est, *Jure licuisse Augustissimo Imperatori Eum succedendi Ordinem immutare*, ac proinde *Marchioni Nicolao Guadagnio deberi Jus illud in Nackodtii Dynastiam*, quod Eidem firmissima Cæsaris Voluntas decrevit. Id quod plane comprobatur, dum certum sit

I. *Testamentariam Dispositionem quoad Jura Honorifica a Cæsarum Arbitrio pendere.*

II. *Eaque Jura omnino subjecta esse Voluntati Imperatorum.*

§. V.

TESTAMENTARIA DISPOSITIO PR. PICCOLOMINEI QUOAD JURA HONORIFICA OMNINO PENDET A CÆSARUM ARBITRIO.

Ferdinandus II. detulit *Nackodtii Dynastiam* Pr. Piccolomineo. Paternam liberalitatem confirmavit *Ferdinandus III. Privilegio dat.* 8. *Octob.* 1650., atque Auxit Facultate transferendi in sui Sanguinis Heredes *Prærogativam Principis Imperii cum Annexis Statibus Honoribus Dignitatibusque*, scilicet cum ipso *Jure in Dynastiam*.

Summm. N. I. Dipl. Ferdin. III. „ Abbia Facoltà e Libero Ar-
„ bitrio di adottar Uno della Famiglia, e Casa dei Conti
„ Piccolomini.... e di risegnare e lasciare a quello tutti
„ i sopradetti communicatili Imperiali Principali Titoli
„ con li Stati Annessi Onori Dignità.... per la Ragio-
„ ne di Majorasco e Primogenitura. *Hoc est* „ Retineat
„ Facultatem, & Arbitrium liberum adoptandi Unum ex
„ Familia & Domo Comitum Piccolomineorum, atque Ei-
„ dem resignandi & relinquendi omnes Supradictos a No-
„ bis eidem concessos Principis Imperii Titulos cum Sta-
„ tibus Annexis Honoribus Dignitatibus.... Jure Majora-
„ tus & Primogenituræ.

§. VI.

Propterea *Octavius*, *ex Facultate ac Privilegio* sibi a Cæsare tributis, *Testamentum confecit An.* 1656.; Unde Ejus Heredes Successiva Vocatione Delecti ad Primigenialia Bona consequenda, possent *Prærogativam Principis Imperii*, *Jus Suffragandi in Comitiis Imperii*, *Jus Dynastiæ Nobilioris*, ut Primogenituræ *Annexa & Conjuncta* Jura adipisci. Inde Cæsareum Placitum *pro Ejus Dispositionis Confirmatione* expostulavit, quod illi ex Gratia & Privilegio concederetur.

Summ. N. III. Diplom. Ferdinandi III. An. 1656. „ Ha forma-
„ ta un'altra Disposizione del come debba regolarsi la sua
„ Successione in *Vigore* della Nostra suddetta Concessione
„ Imperiale „ *Videlicet* „ Aliam efformavit Dispositionem
„ pro determinanda Successione *Vigore* nostræ prælaudatæ
„ Concessionis Imperialis — *In Eod. Diplomate* „ A questa
„ sua Disposizione ha aggiunta la Supplica, che Noi con-
„ fermassimo la detta sua Disposizione „ *nempe* „ Cui Ejus-
„ dem Dispositioni Testamentariæ Supplicationem adjecit,
„ ut Nos prædictam Ejus Dispositionem confirmaremus.

§. VII.

Et quidem, Necessarium quammaxime reputari debuerat, Cæsaream Gratiam implorare, tum *pro ejus Testamenti Va-*

Validitate Statuenda, tum *pro Determinanda Successione in Ea Jura quæ ex Imperatorum Placito dumtaxat progredi possent in Heredes Testatoris.* Etenim Octavio nulla Potestas fuit *Adoptandi* nisi publica Auctoritate auxiliante, nulla Facultas aderat absque *Solemnitatibus* a Lege præfinitis Testamentum conficiendi, quod non *Italico* sed eo *Idiomate* exarare debuisset, quod Regiæ Tabulæ Bohemicæ probaretur. Pariter *Trium Subscriptiones Testium* inutiles essent, nisi Testamentum fuisset *Principi Oblatum.*

Christ. Thomas. Us. Pract. Doctrin. de Adoptionib. Cap. 2. — Gott. Struv. & Hellefeld Jurisprud. Heroic. Vol. 4. Cap. 5. — Paul. Got. Gambs De Test. Princip. adorn.

J. J. Maschov. Princip. Jurisp. Publ Germanic. Lib. 6. Cap. 6. n. 17. — Böhemer. Consultat. & Decision. Jur. Priv. Resp. 732. Gribner. Jurisp. Privat. Illustr. Lib. 1. Cap. 4. p. m. 125.

§. VIII.

Primigenialibus Bonis, etiam in *longinquos & alienigenas Heredes* post Remotissimorum Temporum conversionem transducendis, conjunctas esse peroptaverat *Eas Dignitates & Jura in Dynastiam*, quorum conservatio a Cæsarum Arbitrio pendebat. Probe novit *Exteris aliquibus Bohemicas Hereditates quandoque non deferri*; atque *Jus Suffragandi* iis tantum ex suis Heredibus delatum fuisse *qui Germaniæ fuissent Incolæ*. Inde, erat profecto cur Pr. Piccolomineus Cæsareum Placitum impetraret pro ea Successione Ordinanda, quæ *præter sua Bona*, complecteretur ex Principis Beneficio, *etiam Jura Imperiali Voluntati & Arbitrio semper obnoxia*, & tunc præsertim *cum ex Una Heredum Familia in Aliam forent deducenda*.

Thoming. Decis. 26. n. 5. -- Carpzov. Pr. P. 3. Cap. 38. Dec. 3. n. 1. 3. -- Sam. Stryck. Disputation. Francofurtanar. Vol. 6. Disp. 20. cap. 4.

Cæsareum Decretum d. 23. Jun. MDCLIII. *relatum ab Jo. Limnæo in Jur. Public. Imper. Romano-Germanic. Tom. 5. in Addit. ad Lib. 5. cap. 14. pag. 416., ubi habetur quod Heredes Pr. Octavii, si in Germania habitarent, perfrui possent Dignitatibus, & Jure Suffragandi in Comitiis Imperii.*

§. IX.

Annuit *Imp. Ferdinandus III.* Ejus desiderio Precibusque: Superiora Privilegia confirmavit, probavitque Successionis Ordinem, atque eam Destinationem Personarum, in quas *Jura in Dynastiam atque in Amplissimas Dignitates* pro opportunitate temporum traducerentur. Verum ea Confirmatio ex Gratia & Privilegio, restringitur *Conditione adjecta*, & limitatur ex *Reservatis Juribus Successorum*.

Summar. N. III. Diplom. Ferdinandi III. „ Sotto la Condizione „ però, che nascendo l'Uno o l'altro Caso, l'Una o l'altra „ Linea sia obbligata a chiedere alla Nostra Camera della „ Spedizione Germanica le solite Intimazioni, come ancora „ rispetto alle Conferme, e Tasse di questa Dichiarazione, „ senza Pregiudizio di Noi, de' Nostri Successori, del Sac. „ Rom. Imperio, del Nostro Arciducato d'Austria, del „ Nostro Diritto, e Diritti di ciascuno, e de' Privilegj Co„ muni = *hoc est* = Sub Conditione tamen, quod uno al„ teroque Casu existente, Una aut altera Linea teneatur „ expetere a Nostra Imperiali Camera Expeditionis Ger„ manicæ solitas Intimationes, uti etiam quoad Confirma„ tiones & Taxationes huiusce Declarationis, absque Nostro „ præjudicio, Nostrorum Successorum, S. R. I., Nostri Ar„ chiducatus Austriæ, Nostri Juris & Jurium Singulis com„ petentium, & Privilegiorum Communium.

§. X.

Cum autem Cæsarea Concessio *Masculos Agnatos & Masculos Celani Comites dumtaxat complectatur*, neque fuerit ultro progressa, ita ut *Feminas* & *Cognatitias Familias* comprehenderet; Hinc *Leopoldus Imperator* Eadem Privilegia a

Ma-

Masculis ad *Feminas* extendit, atque *Octaviam Benignam* & ex ea progredientes *Marchiones Guadagnios* complecti dignatus est. Inde Cæsar statuit, ut quandocumque ex Pr. Piccolominei Testamento Primigeniale Patrimonium in illos deferretur, *Dignitates atque Jura Dynastiæ* Ipsi recipere possent, ut Opibus conjunctum Decus, Familiæ Cognatitiæ Splendorem atque Amplitudinem promoveret.

§. XI.

Ex iis quæ jam indicavimus, facile intelligitur, *Octavii Testamentum*, *& Cæsarea Placita Ferdinandi*, *ac Leopoldi Unum veluti Corpus efformasse*, *unde Successionis Jura de quibus agitur*, *determinari prorsus oporteat*. Enim vero *Ferdinandus III. Diplomate ann.* 1650. facultatem fecit *Pr. Piccolomineo* transferendi Illustria Jura in suos Heredes: *Octavius* ea Jura detulit *Testamento*, Quod idem *Imperator* confirmavit Altero *Diplomate an.* 1656. Et cum talium Jurium Successio pro Masculis tantum statuta fuisset, *Leopoldus* ad *Feminam Ejusque Descendentes* protraxit *Diplomate an.* 1689.

Propterea evidenter constat, *Octavii Dispositionem* omnino subfuisse obnoxiam Imperatoriæ Voluntati; ac pariter liquet quod jaminde extinctis *Masculis omnibus*, tum *Vocatis Testamento*, tum *Comprehensis in Cæsareis Concessionibus Ferdinandi*, Eam Successionem progredi debere, prout *posteriore loco Leopoldus* statuerat, a *Masculis* ad *Feminam*, scilicet *Octaviam*, & *Ejus Descendentes*. Exinde manifestum est quid ex Jure sit decernendum, cum Leopoldi Voluntas proposita in *Privilegio an. MDCLXXXIX.* controversias omnes penitus dirimat, & *Nicolaum Marchionem Guadagnium* ab Octavia ex Filio Descendentem, *Nackodtii Dominum* constituat.

§. XII.

§. XII.

Jura de quibus agitur, Voluntati Imperatorum omnino subjecta sunt.

Quod si progrediamur ad examinandam *Qualitatem & Conditionem Jurium*, quæ ex Privilegiis sibi a Cæsare tributis, Primigeniali Patrimonio Testator adjunxit, eo certius *Leopoldini Diplomatis* Auctoritas vindicatur, ac firmissime statuitur. Enimvero non hic agitur tantum de *Allodio Villano aut Paganico*, sed *de Prærogativa in Allodiale Territorium*, superaddita ex Cæsarum Beneficentia, quæ *Jus in Dynastiam Nobilissimam* complectatur.

§. XIII.

Et sane, Territorium istud, *Dynastiæ Nomine* concessum fuit a *Ferdinando II*, *Ditionis Nomine* confirmatum a *Ferdinando III.*, *Status Titulo* expressum a *Leopoldo*, *Dynastiæ* enunciatione nominatum ab *Invictissimo Imp. Josepho II.*, qui etiam *Allodiale* esse & non *Feudale*, apertissime declaravit *Rescripto dat. Vindobon. d.* 5. *Feb.* 1784.

Summ. Num. VIII. Rescript. Cæsareum = Non essendo la Signo-„ ria di Nackodt un Feudo, ma bensi un Fidecommisso fon-„ dato sopra un Allodio, non vi ha luogo a veruna Investi-„ tura = *Nempe* = Quum Dynastia Nackodtii Feudum non „ sit, sed Fideicommissum super Allodio constitutum, nulla „ Investitura opus est. -- *Chr. Thomasius de Præsumpt. Allodialit. cap.* 11. -- *Hertius de Superiorit. Territor*, §. 16. -- *Rhetius Comm. Jur. Feud. Lib.* 1. *Tit.* 1. *n.* 37.

§. XIV.

§. XIV.

Exinde constat, *Eam Ditionem Allodialem* inter ceteras accenseri, quæ Imperio subsunt, quæque Nobilissimarum per Bohemiam Familiarum Splendorem constituunt, ac verum Decus addunt, quod ex simplici Prædiorum Dominio existere nequit.

Conferantur in Summ. posita sub Num. I. III. V. IX. -- *Jo. Limnæus in Jur. Public. Imper. Romano-Germanic. Tom.* 5. *in Additionibus ad Lib.* 5. *cap.* 13. *ubi agit* De Principe Piccolhuomini *pag.* 432., & *pag.* 436. Ibi = Piccolhuomini „ d'Aragona des H. Röm. Reichs Fürst, Hertzog zu Amalfi, Graf und Herr zu Nachot, Grattlitz, und Hertzmanitz --- *Hinc addit* = Conferre Imperio obligatus fuit „ 3. Equites, & 10. Pedites, ac ad Substentationem Judicii Cameralis 16. Florenos -- *Büsch. in Regn. Bohem. & Circul. Reginohradecens. Ibi* = Nachotium Urbs Parva „ Principum Piccolomineorum. Ejus Nominis Dynastia comprehendit etiam Villas Klein-Skalitz, Klenni, Wolleschnitz, & Kosteletz.

§. XV.

Eæ autem *Ditiones* a Vassaliticis Muneribus ac Servitiis omnino Liberæ, pro diversa Earum Conditione censentur Jure diverso. Sunt quæ ipsa *Superioritate* gaudeant, sunt quæ *Minoribus Prærogativis* ornentur, sunt quæ *Minimis* utantur. Hinc *Nackodtii Urbs & Territorium*, quod *Dynastiæ Nomine* ab Imperatoribus concessum fuit Octavio, *si Dynastia est*, ut credi & præsumi debet, ac pro certo adsumimus licet Probationibus aliis destituamur, *Jurisdictio aliqua Eidem cohæreat necesse sit*, cujuscumque Qualitatis ea demum reputari debeat, quæ saltim ponatur in *Justitia* quam Germani *Prædiariam*, *Solariam*, *Fundalem* appellant.

Phi-

Philip. Theod. Werpoorten De Duc. in Vet. Ger. Regn. Hered. -- *Struwius De Allod. Imper. cap.* 2. & 3. -- *Pfeffinger. Vitr. Ill. Lib.* 1. *Tit.* 16. §. 16. -- *Senckemberg. Meditat. Fascic.* 1. *Med.* 1. -- *Buder. in Symmict. Observat. Tom.* 2. *Obs.* 5. *De Justitia Prædiaria Renatus Choppin. Ad Consuet. Andegrav. Lib.* 1. *Cap.* 1. -- *Schilter. Exercitat.* 6. §. 3. -- *Heinecc. in Jur. Germanic. Lib.* 3. *Tit.* 1. §. 66. *in not.* -- *Consiliar. ab Hontein in Dissertat. de Jur. & Imp. per tot.*

§. XVI.

Quapropter ex *Concessione Jurisdictionis* evidenter colligitur, *Prærogativam Juris in Dynastiam* Octavio delatam, a *Supremi Concedentis Arbitrio* pendere, dum in ejus generis *Concessionibus ex Privilegio indultis*, præsumatur Principem Jus illud *Precario* concessisse, ita ut semper illius Voluntati subjiciatur, ac revocari possit ex Ejus Placito. Quo ipso intelligimus, *Ditiones Allodiales* a Cæsarum Liberalitate concessas, nisi contrarium fuerit præfinitum, arctissimo Vinculo Eorum Potestati obnoxia esse ac devincta, ut Illarum Domini nequeant sine Imperiali Consensione Jus sibi datum distrahere, aut Testamento in Alios transmittere; Namque cum Eorum Linea defuerit, continuo ad Superiorem Dominum Jura regrediuntur.

Galeot. Resp. Fisc. 23. *n.* 57. -- *Thom. Grammatic. Dec.* 46. -- *Revit. Lib.* 2. *Cons.* 22. *n.* 13. -- *Christinæ. Decis. Belg. Vol.* 5. *Decis.* 6. *n.* 7. -- *Torre de Major. T.* 1. *cap.* 31. §. 9. *n.* 117. „ Eodem modo potest Princeps derogare Privilegio in Con„ cessione Jurisdictionalium, nam finitur Jurisdictio per Re„ vocationem Concessionis... Quæcumque Dispositio intelli„ gatur semper in Dubio quasi Precario nomine fieri, & „ sic Revocationi, Divisioni, Dismembrationi semper subji„ ci „ *Sam. Stryck. Disp. de Imp. Fact. Prop. inter Disp. Francofurtan. Tom.* 6. *Disp.* 2. *cap.* 7. *n.* 42. „ Jurisdictio„ nalia quoque semel concessa Princeps impugnare potest „ pro lubitu „ *Et Num.* 43. Singulare enim hoc est in Ju„ risdictionalibus, nam hic Revocatio admittitur in Casibus,

„ quo

„ quo aliàs non admitteretur -- *Et Num.* 47. „ Princeps „ enim præsumitur Jurisdictionem Precariam & Revocabilem concedere, quæ sui Natura habeat innatam Proprietatem, ut a Concedentis Voluntate dependeat, ab eoque „ possit quandocumque revocari. -- *Godofred. de Stockausen, de Jur. Stat. circ. Alien. Terr. cap. 11. -- Itter. de Feud. Imp. cap. 2.* §. 11. *& cap. 12. Aph. 7. n. 11. -- Springensfeld de Appannag. cap. 5. n. 65. -- Struvius de Allod. Imper. cap.* 3. §. 31.

§. XVII.

Quibus vel leviter inspectis, quid est quod Cæsari ea denegetur Auctoritas, quæ cuique Privato tribuitur, revocandi *Jura Precario Data*? Quid est cur putemus *Imp. Leopoldo non licuisse*, alio traducere aut etiam funditus evertere *Successionem in Prærogativam Principis Imperii, & in Jus Dynastiæ*, ab *Octavio oblatam Masculis Celanensibus*? Ea quidem Successio Cæsareæ Voluntati suberat, atque ut posset cum Primigeniali Patrimonio conjunctim progredi, *Confirmationibus pro Temporum Opportunitate Renovandis* indigebat, ac Revocari potuerat quoties *Imperatoris Voluntas cessasset*. Neque si Ejus Voluntas defuerit, injuriam alicui intulisse credi unquam posset, cum Is *Jure suo uteretur*, & cum omnia perageret etiam ex *Reservatis Imperii Juribus*, atque ex *Conditione adijecta in Anteriorum Principum Confirmationibus*.

Conringius Disp. De Priv. Rect. Infer. & Rev. Thes. 156. -- *Vasquius De Succ. Lib.* 3. §. 26. -- *Struv. Exercitat.* 45. *Thes.* 156. -- *Stryck. ub. Sup. n.* 8. „ Nam quicumque aliquid ex Privilegio tenet, illud Precario tenere videtur.... „ Quare pro satis justa Causa habetur, quod ipse Princeps „ quod concessit, revocaverit.... Cum enim inter Privatos „ fas sit Precarium pro lubitu revocare, non potest esse „ nefas apud Summas Potestates.... Neque facit alicui injuriam dum Jure suo utitur -- *Et Num.* 49. „ Et sic „ prorsus hic agitur de Defectu Voluntatis, quam de Contractus Revocatione.

§. XVIII.

Scilicet *Celani Comites*, qui ex Pr. Piccolominei Teſtamento habuerant *Jus Certiſſimum Succedendi in Primigeniale Ejus Patrimonium*, Nullum Jus, præter *Spem Nudam*, retinebant ad Ea Jura conſequenda, *quæ ab Arbitrio & Revocabili Supremi Concedentis Voluntate penderent*; Ex quo palam eſt, optimum Imperatorem nihil de Celanenſium Juribus detraxiſſe, dum *Succeſſionem in Dignitates Ampliſſimas*, *& in Jus Dynaſtiæ*, Ante Alios omnes, *Octaviæ Ejuſque Deſcendentibus detuliſſet*.

§. XIX.

Ac præſertim, dum Succedendi Ordinem non everterit, uti poterat, ſed tantum Æquitati attemperaverit. Etenim *Ditiones Allodiales* veluti inter Fideicommiſſa Familiæ computari conſueverunt, ad quorum Succeſſionem Feminæ licet *Statuto vel Conventione* excluſæ, admittuntur quoties Maſculi non amplius extent.

Gaill. Lib. 2. Obſerv. 148. -- Knichen de Veſtit. Pact. cap. 3. n. 23. -- Gylmann. Symphoremat. Tom. 2. P. 1. Vot. 1. -- Henr. Mauritius Conſil. Kilonienſ. Conſ. 1. Adp. 65. -- Struv. de Allod. Imp Cap. 5. § 1. -- Ludewig. inter Conſil. Hallenſ. Jur. Pub. Lib. 2. Reſp. 185. §. 25. -- Gribner Princ. Juriſp. Pr. Lib. 2. cap. 5. §. 3.

Proinde, Cæſar poſt Maſculorum Sticcianenſium omnium extinctionem Ceteris prætulit *Octaviam*, atque *ex Eâ Deſcendentes Guadagnios*, Scilicet *Primam Cognatorum Lineam a Femina Proximiore progredientem*; tamen *non ut Celani Comites excluderet*. Quinimmo ità rem compoſuit, ut cum *Octaviæ Linea extingueretur*, eadem Jura in Piccolomineorum Familiam commigrarent.

Hinc

Hinc dubitari prorſus nequit, tum quod Jura de quibus agimus, *Voluntati Imperatorum omnino ſubjecta fuerint*, tum quod *Cæſari licuerit Eam Succeſſionem, poſthabitis Comitibus Celani, in Marchiones Guadagnios derivare*, qui Sticcianenſis Sanguinis Participes, Teſtatoris Familiam producerent & conſervarent.

§. XX.

Si autem poſt *Obitum Octavii Junioris* ex Linea Sticcianenſi Poſſeſſoris Noviſſimi, *Jus in Nackodtii Dynaſtiam ceſſit Comitibus Celani*, illud proculdubio *Marchionis Guadagnii Juribus officere nequit.* An *Novum eſt*, Succeſſiones ex Majorum Providentia manifeſtiſſime conſtitutas, in Extraneos Immeritoſque Heredes fuiſſe delapſas, quas Veri Succeſſores poſt longa Annorum ſpatia repoſcant, qui indubia pro iis vindicandis Monumenta proferant, & ſuorum Jurium firmitate nitantur? An, aut Forenſis Concertationis Faſtidia, aut Familiarium Jurium neglectio inter Oſtenta mirabiliora computentur? Quinimmo *præmaturam Celanenſium Succeſſionem* ex Magnanimitate & Liberalitate præclariſſimæ *Guadagniorum Gentis* credi etiam poſſet profluxiſſe, dum *Familia, quæ Dignitatum Ditionum Dominiorumque amplitudine ſemper floruit*, Ea quidem, quæ ſibi facile vindicare potuiſſet, Aliis conceſſa facultate, utenda fruenda permiſerit. Verum ex perturbato atque inverſo Succedendi Ordine confici nunquam poteſt, *Succeſſionem illam Guadagnio* præripiendam eſſe, qui ab *Octavia* dumtaxat ſua Jura deducit, qui ex *Propria Perſona* advocatur, qui *non ex Revocatis aut Interlitis* Imperialibus Conceſſionibus, ſed ex iis quæ nunc omnium oculis exhibentur & Judicibus offeruntur, Cæſareæ Beneficentiæ Monumentis, *Nackodtii Dominus* conſtituitur.

De Guadagniis Marchionibus Montis Piscalis, S. Leolini, aliarumque Ditionum Dominis plura eaque quammaxime insignia Scriptores referunt. *Conf. Eugen. Gamurrin. Fam. Illust. Ital. Tom.* 2. *C.* 60. -- *Monald. C.* 14. -- *Arald. C.* 96., *hinc August. Thuanus, Davila, Menetrierius & turmatim alii.* Unum addo *Georg. Vivian. Marchesium in Hist. Ordin S. Stephan. in Etrur. Part. I. pag.* 522. *ubi de Thoma Guadagnio tantum loquitur* „ Comprò le Terre di S. Vittorio della Co„ sta, Gualargues, Lunel, Rocchemaure, S. Gio. della Fo„ resta, Ambrieu in Dombles, Cier e Verdun in Borgo„ gna, Beregard, Chaar, e Proseveux nel Lionese.

§. XXI.

Cujus quidem Successionis firmitas certius demonstratur, dum evidenti ratione liqueat, Imperatorem, qui *Guadagniis* beneficium indulxit *etiamsi Celanenses Masculi superextarent*, eo magis idem beneficium iis contulisse, *quoties Celani Comites defuissent*. Sed jam Masculorum Celanensium Illustris Familia extincta est *An.* 1783.: Superstiti ex Ea Feminæ Nobilissimæ *Nullum* penitus debetur Jus sive *ex Testamento Principis Piccolominei*, sive *ex Ferdinandi III.* Concessionibus (*Supr. Art. I. & II.*). Hinc Res hodie eo recidit, ut nihil ex Celani Comitum Juribus possit objici, tamquam si in Rerum Natura ii nunquam extiterint, aut nunquam attigerint Primigenialia Jura, *aut si Eorum Nomen defuerit prorsus in Testamento Pr. Octavii.* (*Supr. Artic. II.* §. 7. & 8.).

Propterea, cum etiam a *Fortuna Temporum* submoveatur intempestivæ Dubitationis Ratio omnis, plane constat *Augustissimum Leopoldum Jure suo usum fuisse*, & abunde suam Voluntatem declarasse, ut post *Masculos Sticcianenses extinctos*, in *Cognatitiam Guadagniorum* Familiam traduceretur *Ea Successionis Prærogativa*, quæ ab Ejus Arbitrio omnino pendebat.

§. XXII.

§. XXII.

Quod profecto non improvide & per animi impetum egit, sed prorsus *Causa Cognita*, *Factorum Veritate inspecta*, atque ex *indubitata Cognitione Diplomatum anteriorum*, ac *Testamentariæ Dispositionis Pr. Octavii*. Inde, ut in Rebus maximi momenti Cæsares consuevere, Consilium advocavit *S. R. I. Procerum*, non ut faceret quod Jure non liceret, non ut ignaviter mendacibus annueret Postulatis, sed ut sua Clementia atque Auctoritate definiret quod Justum omnino esset.

Summ. N. V. Diploma Leopoldi „ Prout nimirum Anno 1650, „ Die 3. Mensis Octobris ab Augustissimo Cæsare Ferdi- „ nando III., Vigore Dispositionis a prædicto Principe „ Octavio Piccolomini factæ, & Anno 1656. die 17. Men- „ sis Julii Auctoritate Cæsarea confirmata.

Ibidem „ Sacro Nostrorum Romani Imperii Procerum acce- „ dente Consilio .... Nulla Subreptione, aut Obreptione „ seducti &c.

Bitsch. in Consuet. Feud. 1. *Feud.* 8. -- *Itter. De Feud. Imp. Cap.* 25. §. 8. -- *Schilter. Instit. I. F. cap.* 10. §. 4.

§. XXIII.

Quapropter, cum Principum Liberalitas non sit coarctanda, & cum evidens sit tum *Concessionis Justitia*, tum *Voluntas Cæsaris quod Privilegium Modis omnibus prodesse debeat, & quemcumque Eventum complectatur, scilicet sive Extiterint, sive Defuerint Masculi Celanenses*, dubitari prorsus nequit quod Ea Successio Marchioni Guadagnio sit adjudicanda. Quod quidem certa adeo atque indubitata ratione constat, ut profecto evidentius nunquam Cæsarea Jussa violarentur, *si Eidem Jus in Dynastiam Nackodtii non deferretur, quod Illi ex Plena Majestate fuit Constitutum*.

Summ.

Summm. N. V. Dipl. Leopoldi „ Ut *Ante Alias* prædictæ Marchionissæ & Descendentibus Ejus.... cedant omnia &c. „ Manente tamen *Firmissimo* Octaviæ Benignæ Marchionissæ prædictæ & Descendentibus Ejus Jure Succedendi.. *Ibidem* „ Motuproprio, & ex Certa Scientia, Animo Deliberato .... eaque qua fungimur Auctoritate Cæsarea & De Ejus Plenitudine.... ac Plenitudine Potestatis Imperialis.... „ Non Obstantibus quibuscumque....

Knichen De Invest. Pactor. Lib. 2. cap. 5. -- Brunneman. Consil. 162. n. 277. & Conf. Pen. n. 151. -- Sam. Strick. Diss. Francofurtanar. Vol. 3. Disp. 11. cap. 3. & Vol. 4. Disp. 24. cap. 4. n. 17. „ Clausula *De Plenitudine Potestatis* tanquam „ omnes alias superans hoc præcipue operatur ut gaudeat „ Vi Clausulæ Derogatoriæ.... non minus omnes penitus „ suppleat defectus.

L. Beneficium 3. C. de Const. Princ. -- L. Si Quando. 2. C. de Bon. Vac. -- Moller. Semestr. Lib. 4. Cap. 21. -- Mund. a Rodac de Comitib. Pal. Cæs. Cap. 1. n. 29. -- Solorzan. de Gub. Indiar. Vol. 2. Lib. 2. cap. 10. n. 66. -- Styck Disp. Franc. Vol. 4. Disp. 24. qui alios etiam allegat. n. 46. „ Quia Mens „ Privilegiantis fuit, quod Privilegiato Omnibus Modis Privilegium Datum prodesse debeat -- *Et N. 55* „ Ut Quocumque Casu inde Privilegiatus commodum sentiat -- *Henric. Böhemer. Consilior. & Decision. Tom. 1. Part. 2. Argum. 45. n. 90. 91. 92.*

§. XXIV.

His ita compositis atque indicatis quæ faciunt pro *Vindicandis Juribus* illustris Guadagniorum Familiæ, & pro non infringendis temere atque inconsulto *Cæsarum Placitis*, dubitandum amplius non est, quin præclarissima per Germaniam Dicasteria numquam sinant hebescere & languere Sacratissimi Principis Auctoritatem. Neque proculdubio est cur Imperatoria Sanctio proscindatur & abjiciatur inclementius *ac si injuriam complecteretur*, quæ tamen nihil continet nisi quod Justissimum sit, ac plane Austriacum.

§. XXV.

§. XXV.

De Lapsu Fatalium.

Quæ porro ex *Fatalium Lapsu* opponuntur, itidem pugnant cum *Leopoldini Diplomatis Auctoritate*. Ea autem, Quæstionis prorsus indignæ irritamenta putamus, quibus Magistratuum Dignitas irascatur. Neque profecto est cur iis convellendis immoremur, quæ sua mole ruunt, *tum quod ex Facto sit Decretorios Dies exactos non fuisse sine Heredis Declaratione*, dum Preces Supplicationesque Invictissimo Cæsari Bohemiæ Regi oblatæ fuerint, *tum quod longo Regionum intervallo Dissitis, ex justa Causa Absentibus, atque Ignorantibus, Leges omnes parcant*, iisque ex *Æquitate ipsa Naturæ* continuo suppeditent *Remedium Restitutionis in Integrum*.

§. XXVI.

Quod si verum est *Pragmaticis Bohemicis An. MDCCXVII. & Ann. MDCCXXII* præfiniri *Semestre Spatium ad Declarandum Animum Adeundi Vacantem Hereditatem*, non animadverto cur Controversia, in qua versanda quilibet erubescat, nedum agitari sed nec proponi possit sine ludibrio.

Ac reipsa, non hic agitur de *Ulla Hereditate Directa* & de suscipiendis Commodis atque Periculis Oneribusque, quorum Causa, *Deliberandi & Adeundi* Tempora determinantur, ne Dominia rerum, diu incerta ac suspensa, Privatæ officiant, & Publicam etiam Utilitatem intercipiant.

Verum agitur de Hereditate *Fideicommissaria & de Primogenitura* quam ab Anno MDCLVI., Principis Piccolominei Voluntas detulit, & quam is habet etiam qui se habere prorsus ignoret; namque Ea Hereditas *nunquam Vacat, Aditur nunquam*, sed *Restituitur* & *Agnoscitur*, dum ipso Jure & dumtaxat Legis Ministerio *Actiones transferantur*.

L. 1. §. *fin. ff. ad S. C. Treb.* „ Transire ad Eum ipso Ju-
„ re Actiones -- *L. Penult. C. Eod. Tit.* „ Si a Primo Fi-
„ deicommissario in Secundum Translatio celebrari Jussa
„ est, *Ipso Jure* Utiles Actiones transferuntur.
Hen. de Coccei Exercit. Curiosar. Vol. 2. *Disp.* 62. *per Tot.* --
Jos. Averan. Interp. Jur. Lib. 4. *cap.* 8. *n.* 5. *Ibi* „ Nomi-
„ ne autem Hereditatis non continetur Hereditas Fidei-
„ commissaria, quia Hæc non aditur & Nunquam Adiri
„ dicitur, sed Agnosci & Restitui -- *Rot. Rom. Rec. Tom.*
5. *Part.* 2. *Dec.* 417. *n.* 14. „ Etenim in Substitutione Fi-
„ deicommissaria non cadit Aditio -- *DD. Omn. in re apertissim.*

§. XXVII.

Atque ita, si *De Aditione Hereditatis Vacantis* Quæstio Nulla est & Nulla unquam esse potest, cum perspicue adeo constet hic agi tantum *De Restitutione Fideicommissaria* ex Testamento Pr. Piccolominei, quorsum ex Justitiæ Regulis quæ hactenus innotuere, advocari & objici possunt Leges qui de *Fideicommissaria Restitutione non loquuntur*, sed præfiniunt Terminos *pro iis Hereditatibus Adeundis* de quibus nulla hic Controversia agitatur?

Proinde liquet, quod in hac luce Temporum, & in præclarissimis Germaniæ Dicasteriis Nemo unquam possit ex Unius aut alterius voculæ significatione detorta, atque ex temere & violenter accepta Verborum Intelligentia, prævalidum sibi Patrocinium præstolari, unde immeritum Dedecus inferretur *Bohemicis Pragmaticis*, quæ cum Institutis bene moratarum Gentium omnium conveniunt, Germanicæ Integritatis Candorem referunt, atque ab efferatæ, quæ illis impingeretur, inhumanitatis nota quammaxime abludunt.

Conferend. Codex Ferdinand - Leopoldin - Josephin - Carolinus An. MDCCXX. - Freigl - Ophtalm. Strakonicenus -- Weingarten -- Waffemburg - Keffembrinck Meditat. ad Stat. Pragens. &c.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

CONCLUS. Itaque reiječta illa *De Fatalium Lapsu* Quæstione misera luctuosa acerbissima, atque submotis Juribus *Cl. Feminæ Propioris Postremo Possessori Gravato*, satis jam constare puto Successionem in Bona Primigenialia *adscribendam non esse Comiti Josepho Desfoursio tamquam Filio Laudomillæ, a qua uti Nepte Comitis Francisci progressa est Linea quæ ex Ordine Posterior debeat reputari*; Sed adjudicandam esse *Marchioni Nicolao Guadagnio Descendenti ab Octavia ejusdem Comitis Francisci Filia, a qua procedit Linea quæ Prior Tempore, Potior Jure, Ceterisque Dilectior sit consideranda*. Hinc cum certa ac firma sint, tum *Fideicommissi Existentia*, tum *Ejus Purificatio*, tum *Legitimatio Personæ*, tum Utrumque & Veteris & Novæ Possessionis *Extremum*, dubitari nequit Delatam fuisse ex Testamento Principis Piccolominei Successionem Marchioni Guadagnio, in quem *Translatæ Actiones fuerunt Ipso Jure & Legis Ministerio*, & Cui, si sua Legibus constare debet Auctoritas, concedenda est *Immissio* in PRIMIGENIALIA BONA *Ex Remedio L. Fin. C. De Ed. D. Had. T.*, atque IN JURA DYNASTIÆ *ex Concessione Augustiss. Imperatoris Leopoldi*. Ita Juris esse censeo.

MELIOROTTUS MACCIONI
IN PISANA ACADEMIA JURIS CÆSAREI ANTECESSOR

CLARISSIMI ET AMPLISSIMI

COLLEGII JURIDICI

ACADEMIÆ PISANÆ

JUDICIUM

PRO CONFIRMANDO

RESPONSO SUPERIORE.

IV. NON. JANUAR. AN. MDCCLXXXVI.

NOS FACULTATIS JURIDICÆ ACADEMIÆ PISANÆ DECANUS CETERIQUE PUBLICI PROFESSORES, rogati an Momenta Rationum propofita a Meliorotto Maccioni Collega Noftro in Superiore *Refponfo Juris Pro Decernenda Succeffione in Primogenitura Bohemicæ Dynaftiæ Nackodtii Nicolao Guadagnio Marchioni Montis Pifcalis &c.* ex Teftamento Principis Piccolominei fcript. d. 6. Jul. 1656., digna fint quæ Noftro Suffragio confirmentur, Ea a Nobis diligenti & quammaxime accurato Examine perpenfa atque excuffa, cenfuimus Juftitiæ & Veritati omnino confentanea; Etenim non eft dubitandum de *Exclufione* Feminarum Extranearum ab Agnatione Teftatoris, & *Inclufione* Agnatarum, in quas & Earum Defcendentes translatum fuerat Jus Habituale Succedendi in Primogenitura, ita ut in Feminis Earumque Lineis Repetitus, fucceffive progrederetur poft Mafculos omnes Extinctos, *Ordo Primigenialis ex Prærogativa Lineæ quæ defcendat a Femina Proximiore*. Quæ quidem cum Rectæ Interpretationis & Juris Civilis Regulis firmiffime innixa fint, ideo a Nobis Ea ufquequaque probata

bata fuisse fatemur, & omnibus ac quibuscumque oporteat, publice testamur.

FRANCISCUS FALCHI PICCHINESI Decanus Collegii Juridici & Canonum Professor
FRANCISCUS ALBITIUS Juris Canonici Antecessor
JOSEPH PARIBENI Juris Canonici Antecessor
ANTONIUS MARIA VANNUCCHI Juris Feudalis Professor
JOANNES M LAMPREDI Juris Publici Universalis Professor
LAURENTIUS TOSI Juris Civilis Professor
NERIUS PIOMBANTI Magistratus Pisani Judex Ordinarius & Juris Civilis Professor Emeritus
PETRUS RANUCCI Juris Criminalis Professor
PHILIPPUS BALDINI Juris Civilis Professor
PHILIPPUS M. DELLA PURA Unus ex Consulibus Maris Civitatis Pisarum & Professor Emeritus
ANTONIUS BOTTIERI Juris Canonici Professor
FRANCISCUS FOGGI Juris Cæsarei Professor.

Ego Infrascriptus Cancellarius Almæ Pisanæ Academiæ Omnibus & Quibuscumque intersit Fidem facio, Supralaudatos Illustrissimos Clarissimosque Professores, videlicet Franciscum Falchi Picchinesi Decanum Collegii pro Mense Januario & Canonum Professorem -- Franciscum Albitium Canonici Juris Antecessorem -- Antonium Maria Vannucchi Juris Feudalis Antecessorem -- Josephum Paribenium Equitem D Stephani & Juris Canonici Professorem - Laurentium Tosi Professorem Juris Civilis -- Joannem M. Lampredi Juris Publici Universalis Professorem -- Philippum Baldini, - & Franciscum Foggi Juris Civilis Professores - Petrum Ranucci Professorem Juris Criminalis -- Antonium Bottieri Juris Canonici Antecessorem & Collegii Ferdinandei Rectorem. Constituentes Omnes Celeberrimum Collegium Juridicum Inclitæ Pisanæ Academiæ: -- Nerium Piombanti Juris Civilis Professorem Emeritum & Magistratus Pisani Judicem Ordinarium -- Philippum M. della Pura Professorem Emeritum,

 atque

atque Unum ex Consulibus Maris Civitatis Pisarum, Communi omnium Consensione Approbasse Superius & Annexum Responsum cui Titulus est „ Meliorotti Maccioni in Pisan. „ Lyceo Jur. Cæs. Profess. Responsum Juris Pro Decernenda Successione in Primogenitura Bohemic. Dynastiæ Nackodtii Ill. & Excell. D. Nicolao Guadagnio Marchioni „ Montis Piscalis, S. Leolini &c. Adversus Ill. & Excell. „ D. Comitem Albertum Des-Fours & Adienville, ac Illu„ strifs. & Excellentifs. D. Annam Mariam ex Principi„ bus Piccolomineis Ducissam Montis Leonis „ & Manu Omnes Propria se subscripsisse. In quorum Fidem Almæ Pisanæ Academiæ Sigillum appono, & Me propria manu subscribo.

L. S. *Ego* Stephanus Bargellinius, *Notarius Publicus Florentinus, Advocatus ex Florentino Collegio, & Academiæ Pisanæ Cancellarius.*

Nos Marchio Bajulivus Sigismundus Lotteringhi della Stufa Patricius Florentinus, Regij Consilij Supplicum Libellorum Gratiæ, & Justitiæ a Secretis, nec non Generalis Archivij Publici Florentini Præses. Fidem facimus, ac publice testamur Suprascriptum Excellentissimum Dominum J. U. D. Stephanum Bargellini fuisse, & esse qualem se facit Notarium Publicum Florentinum, Legalem, & fide dignum, ejusque Scripturis tam publicis, quam privatis in Judicio, & extra semper adhibitam fuisse, & ad præsens adhiberi fidem ab omnibus. In quorum Testimonium has nostras Literas fieri, solitoque ejusdem Generalis Archivij Sigillo muniri jussimus; In quorum &c.

L. S. Datum Florentiæ hac die decimaseptima Mensis Aprilis 1786.

Archangelus Cappucci Cancellarius.

Præsentibus Attestor Dominum Archangelum Cappucci talem esse qualem se subscripsit. Datum Florentiæ die decimaoctava Mensis Aprilis 1786.

ANTONIUS JOSEPHUS VEIGL
RESIDENS IMPERIALIS.

V. CL. ANT. M. VANNUCCHI

IN PISAN. ACADEM.

JURE FEUDALIS

PROFESSORIS

VOTUM.

QUum anteactis mensibus a præclarissimo *Marchione Nicolao Guadagnio* fuissem interrogatus, respondi multo Jure, juxta Dispositionem Testamentariam ab Octavio Piccolomineo S. R. I. Principe peractam, Eidem deberi Successionem in Primogenitura, ex Rationum momentis quæ ex tempore mihi obvenerunt menti. Nunc vero cum Ejus Jura in medium allata videam a *Cl. Collega meo*, fortius in eadem Sententia confirmor; is enim in Superiore Responso tanta argumentorum vi dispellit ambiguitates omnes, ut mihi adsensum extorqueat.

Et plane ex Evidentia Facti patet 1°. Familiam Testatoris videlicet Comitum Sticciani, diversam fuisse a Familia Comitum Celani. 2°. Post Interitum Masculorum ex iis Familiis provenientium Testatorem substituisse Feminas. 3°. Et Feminas *Proximiores* ex Una solum Familia. 4°. Scilicet Comitum Sticciani sive ex *Linea Paterna* ipsius Testatoris. 5°. Franciscum Æneæ Filium, Testatoris Nepotem, consideratum fuisse Stipitem Vocatorum ad Successionem in Primogenituram. 6°. Octaviam Benignam Petri Antonii Uxorem, Octavii Matrem, & Nicolai Guadagnii Aviam, extitisse *Filiam* prælaudati Francisci. 7°. Laudomillam Comitis Josephi Des-Fourfii Matrem, fuisse Filiam Laurentii & *Neptem* ejusdem Francisci. 8°. Hic agi de Primogenitura introducta & observata jam ab Anno

 1656.,

1656., & de Voluntate indubitata conservandi in Familia Testatoris Facultates Dignitates Potentiam & Decus. Omnia isthæc certa & comperta sunt ex Factorum dilucida Demonstratione quam egregie *Cl. Maccionius* recensuit.

Hinc cum indubium sit Primum Fideicommissi Institutorem substituisse pro Casu extinctionis Masculorum Agnatorum & Extraneorum, *Feminas provenientes ex Linea Paterna*, æque manifestum est exclusisse *Extraneas* a sua Agnatione, & inclusisse Feminas *Agnatas*, videlicet Eas quæ a Francisco originem ducerent suam.

Et cum non de simplici Fideicommisso sed de Primogenitura & Majoratu loquamur, ad quem ex ordine admittendæ sint *Feminæ Proximiores per Lineam Paternam Testatoris*, sequitur quod illustris Testator Perpetuitatem & Tractum Successivum considerans, Hereditatem eo nomine assignaverit Lineis Femininis, quibus dedit Voluntate expressa *Jus Eventuale* Succedendi. Eo igitur Jure in silentio & tacite in Lineis illis conservato & reposito ut ad suam veluti maturitatem perveniret, illud efficitur ut Successio in Primogenitura ex Primi Constituentis Ordinatione denegari non possit comprehensis gradatim in Linea quæ fluxerit a *Femina Proximiore* Stipiti Descendentium Vocatorum, *in quibus repetatur Ordo Primogenialis*. *Octavia* autem ex cujus Jure venit Guadagnius, *Patrem* habuit Franciscum, Laudomilla vero ex qua nascitur Comes Desfoursius, *Avum* habuit eundem Franciscum. Quibus positis, quis unquam credat Lineam Octaviæ *esse Inferiorem* Linea Laudomillæ? Ideo nemo inficias iverit Guadagnium Desfoursio præferendum esse in Successione Nackodtiana; Nam Occupator non Possessor dicitur qui ex Sequiori Linea in Jura Lineæ Anterioris intruditur contra Legum Naturalium Præscriptum, & contra mores & Instituta Gentium.

Prout Guadagnius sibi vindicat Bona ex *Testamento Octavii*, sic vindicare sibi potest *Jus in Dynastiam Nackodtii* ex *Diplomate*, Guadagniorum Genti concesso ab *Augustissimæ*

Me-

Memoriæ Imperatore Leopoldo. Qua de causa impugnetur Cæsaris Potestas, qua ratione respuatur Ejus Voluntas, qui liquide determinavit Ejus Juris Successionem a Masculis Comitibus Sticciani pertransire debere ad Octaviam & Ejus Descendentes? Si *viventibus etiam Principibus Piccolomineis Neapolitanis*, Jus quod sua Potestate regebatur, poterat in alios quos voluerit, libere transferre, cur dicendum esset non potuisse traducere in Guadagniorum Familiam, eo potissimum Casu quo Principes Piccolominei Celani Comites *defecissent?*

Quod autem ad Quæstionem de *Lapsu Fatalium* attinet, ea nos modo non detineat; res enim in comperto est hic agi de Fideicommisso, quod ipso Jure transit in Successores, & quod non cadit sub censura *Bohemicorum Statutorum*, atque indubitanter non agi de Hereditate aliqua Directa quæ adiri possit. Qua nam ergo ratione Naturalis Æquitas pateretur Fatalium Lapsum opponi posse, ac præcipue contra Hominem Italum Absentem Ignorantem Immerentem, & qui maximo rationum pondere bonum Jus fovet & suam Causam tuetur?

Itaque cum isthæc aliaque omnia tanta optimorum argumentorum perspicuitate atque efficacia pertractaverit Cl. Collega meus, & cum ea omnia præstiterit quæ pro Veritate inquirenda propugnanda & in clarissimam Lucem collocanda, præstari poterant, Ejus Sententiam Voluntate summa approbo, eique libens subscribo.

ANTONIUS MARIA VANNUCCHI
IN PISANA ACADEMIA PUBLICUS JURIS FEUDALIS ANTECESSOR.

Die

Die 9. Januar. 1686.

Ego infrascriptus testor omnibus Illustrissimum Dominum Antonium Maria Vannucchi Almæ Pisanæ Academiæ Professorem se propria manu subscripsisse. In quorum &c.
Ego Stephanus quondam Sebastiani Filius de Bargellini Notarius Publicus Florentinus, Advocatus ex Collegio Florentino, & Cancellarius Academiæ Pisanæ me propria manu subscribo.

Nos Marchio Bajulivus Sigismundus Lotteringhi della Stufa Patricius Florentinus, Regij Consilij Supplicum Libellorum Gratiæ, & Justitiæ a Secretis, nec non Generalis Archivij Publici Florentini Præses. Fidem facimus, ac publice testamur Suprascriptum Excellentissimum Dominum J. U. D. Stephanum Bargellini fuisse, & esse qualem se facit Notarium Publicum Florentinum, Legalem, & fide dignum, ejusque Scripturis tam publicis, quam privatis in Judicio, & extra semper adhibitam fuisse, & ad præsens adhiberi fidem ab omnibus. In quorum Testimonium has nostras Literas fieri, solitoque ejusdem Generalis Archivij Sigillo muniri jussimus; In quorum &c.

L. S.

Datum Florentiæ hac die decimaseptima Mensis Aprilis 1786.

Archangelus Cappucci Cancellarius.

Hisçe Attestor Dominum Archangelum Cappucci talem esse qualem se subscripsit. Datum Florentiæ die decimaoctava Mensis Aprilis 1786.

ANTONIUS JOSEPHUS VEIGL

V. CL.

V. CL. JO. M. LAMPREDI

IN PISAN. ACADEM.

JURIS PUBLICI UNIVERSALIS

PROFESSORIS

VOTUM.

CUm Veritati & Justitiæ consona & rectæ Interpretationis Regulis accommodata mihi visa fuerit Egregii Jurisconsulti *Clementis del Pace Consultatio pro Nobilissimo Marchione Nicolao Guadagnio*, atque adeo in Ejus Sententiam Anno proxime præterlapso, libenter mihi eundum censuerim, multo magis cum fuerim Consultus iterum, mihi probandum sentio *Meliorotti Maccionii Viri Clarissimi Nuperrimum Responsum Juris*. Hoc quidem non Alterius tantum argumenta declarat roborat confirmat, sed Nova exponit eaque invictissima, quæ rem prorsus conficiant.

Etenim ostendit monstro simile esse, Principem Octavium Piccolomineum in suis Supremis Tabulis Feminas Sanguine Proximiores Ultimo Gravato vocasse, non autem contemplatum esse Feminas Agnatas suas, exindeque Descendentes Lineas Cognatitias, atque adeo abjecto proprii Sanguinis Amore, Voluisse potius ut Ejus Bona deferrentur ad Extraneos, quam ad Eos qui ex Feminis Descendentes, Sanguine Ipsi Proximiores esse possent. Prædilexisse quidem videtur Princeps Octavius potius Cognomen suum quam Sanguinem *uno dumtaxat Casu*; quandoquidem Successionem ad Celani Comites *Masculos tantum* detulit, cum quibus nullo Paterni Sanguinis vinculo conjungebatur. Danda est Viro celeberrimo hæc venia ut *prius* Cognominis sui, *postea* Cognatarum Familiarum potentiam & celebritatem

tatem desideraverit. Ei fortasse visum eo pacto & sibi & Nomini suo Immortalitatem comparare. At Extinctis iis Celanensibus Piccolomineis Masculis omnibus, atque adamati Cognominis phantasmate sublato, quis sanus putet Eum non ad Juris Naturalis, non ad Communium Legum quæ ubique Gentium peræque custodiuntur, normam, de Rebus suis disposuisse? Eæ quidem statuunt, ut qui charior Defuncto est, in Bonis Ejus succedat, charior autem esse videtur is qui Testatori Proximior Sanguine. Opportune *Wolfius Jur. Natur. Part. VII. Cap V.* §. 1034.
„ Is igitur omnino observandus est Ordo, quem exigit
„ Arctius Cognationis Vinculum, ut scilicet qui sunt in
„ Familia Parentis Defuncti Propioris excludant Fami-
„ liam Remotioris, & in eadem Familia qui Parenti huic
„ tanquam Stipiti Propiores sunt, excludant Remotiores „
Hic quidem est Naturalis Successionum Ordo, a quo Nemo præsumitur recessisse, nisi *Certissima*, & *Evidentissima Ratio adsit* quæ contrarium ostendat. Recessisse autem Principem Octavium patet, *Celanensium Masculorum & prædilecti Cognominis gratia*, cujus Perpetuitatem desideraverat; At Cognomine extincto atque adeo Causa remota, cur Naturalia Officia explere voluisse dicendus non est? An putandum prætulisse *Extraneas Feminas*, & ex iis Descendentes alias *Familias Extraneas* quarum existentiam vix mente concipere poterat, *Feminis Agnatis*, ac præsertim *Octavia* Pronepti suæ, Æneæ Sylvii Primi Gravati Sorori, quæ tunc vivebat, cum Is Suprema exarabat Tabulas?

Huc accedit, Eum apertissime dilexisse *Francisci Nepotis sui Lineam*, nec transitum fecisse ad Celani Comites nisi Piccolominei Cognominis favore. Extinctis Masculis omnibus ex hac Familia Secundo loco Vocata, & delata Hereditate ad Feminas Proximiores Sanguine, quis putet alias Feminas intellexisse quam Eas quæ Propiores essent Sanguine Eidem Francisco? Quæ Causa Seligendi Feminas Pro-

Propiores Sanguine Ultimo Gravato in Linea Comitum Celani, quæ nec Cognomen Piccolomineorum producerent, nec Comiti Francisco conjungerentur vinculo Sanguinis, & Titulos Honoris & Opes multa virtute & labore a Testatore partas, in Extraneam Familiam traducerent? Merito quidem Pragenses Judices Montis Leonis Ducissam Ultimi Gravati *Sororem* ab Hereditate de qua agitur, Duplici Decreto excluserunt.

Hinc planum est hic agi tantum de Juribus *Proximiorum Feminarum* a quibus Cognatitiæ Familiæ proficiscuntur, atque evidens est Eam Feminam Eam Lineam ex ordine Proximiores esse censendas quæ Propiores Sanguine fuerint Primogenitorum Stipiti Francisco Piccolomineo, quandoquidem Lineas Cognatitias sub Designatione *Feminarum Proximiorum per Paternam Lineam* ab Eodem Descendentium, contemplatum esse Testatorem, firmiter adstruit Collega Meus ex Testamentariæ Voluntatis consideratione.

Quare cum fuerit post Masculos omnes extinctos, & in tempus remotissimum, delatum Feminis Proximioribus Jus Succedendi in Primogenituram, *Jus istud Eventuale* Naturali Ratione in Earum Descendentes transfusum, & in Lineis, ut Eas appellant, Primogenituræ Habitualibus conservatum, sic explicandum est ut in *iisdem Lineis Repetitus censeatur Ordo Succedendi, qui in Masculorum Lineis jam obtinuerat*, atque Ea semper Linea in Successione ceteris præferri debeat quæ a Femina Proximiore orta sit.

Octavia autem *Filia* fuit, Laudomilla fuit *Neptis* Francisci Piccolominei, Illa *Proximior*, hæc *Posterior*; Hinc cum debeat Prædilecta existimari Octaviæ Linea uti *Proximior*, aperte constat Primogenituram restituendam esse *Marchioni Guadagnio*, prout argumentis plane invictis ostendit *Cl. Collega Meus*, cui pro Veritate & Justitia respondenti libentissime subscribo

JOANNES M. LAMPREDI
IN PISANA ACADEMIA JURIS PUBLICI
UNIVERSALIS PROFESSOR.

Pisis

Pisis 9. Jan. 1786.

Ego Stephanus Bargellini Notarius Publicus Florentinus, Advocatus ex Florentino Collegio, & Cancellarius Almæ Pisanæ Academiæ testor Illustrissimum Dn. Joannem M. Lampredi Professorem Pisanæ Academiæ propria manu se subscripsisse. In quorum fidem propria manu Me subscripsi.

Nos Marchio Bajulivus Sigismundus Lotteringhi della Stufa Patricius Florentinus, Regij Consilij Supplicum Libellorum Gratiæ, & Justitiæ a Secretis, nec non Generalis Archivij Publici Florentini Præses. Fidem facimus, ac publice testamur Suprascriptum Excellentissimum Dominum J. U. D. Stephanum Bargellini fuisse, & esse qualem se facit Notarium Publicum Florentinum, Legalem, & fide dignum, ejusque Scripturis tam publicis, quam privatis in Judicio, & extra semper adhibitam fuisse, & ad præsens adhiberi fidem ab omnibus. In quorum Testimonium has nostras Literas fieri, solitoque ejusdem Generalis Archivij Sigillo muniri jussimus; In quorum &c.

L. S.

Datum Florentiæ hac die decimaseptima Mensis Aprilis 1786.

Archangelus Cappucci Cancellarius.

Hisce Attestor Dominum Archangelum Cappucci talem esse qualem se subscripsit. Datum Florentiæ die decimaoctava Mensis Aprilis 1786.

ANTONIUS JOSEPHUS VEIGL
RESIDENS IMPERIALIS